DE USU

PARTICULARUM TEMPORALIUM

CUM, POSTQUAM, UBI, UT, SIMUL, SIMULAC

APUD

VERGILIUM, LUCANUM, VALERIUM FLACCUM, SILIUM ITALICUM.

COMMENTATIO ACADEMICA,

QUAM

PERMITTENTE AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE UPSALIENSI
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

PUBLICE DEFENDET

GUSTAVUS GÖRANSSON
HOLMIENSIS
PHILOSOPHIAE LICENTIATUS

IN AUDITORIO IV A. D. XVIII KAL. IAN. MDCCCXCVII
H. A. M. S.

HOLMIAE MDCCCXCVII
TYPIS DESCRIPSIT P. PALMQUISTS AKTIEBOLAG.

Historicam, quae dicitur, grammaticam linguae latinae a Ritschelio, praestantissimo illo philologorum principe, conditam esse constat. Tum viri docti, qui in hac re versati sunt, praecipue in ea dicendi consuetudine perscrutanda, qua usi sunt scriptores classici, qui vocantur, occupati fuerunt. Primus deinde Draegerus collectis studiis eorum in libro, qui inscribitur »Historische Syntax der lateinischen Sprache» (Leipzig 1878; II ed. sec. 1881), copiosius de universae latinitatis grammaticis legibus, quae ad syntaxin pertinent, disseruit. Sed ut ante eum viri doctissimi minus saepe ad scriptorum posteriorum sermonem investigandum studium atque operam contulerunt, ita etiam in libro Draegeri scriptores argenteae, quam vocant, aetatis, solo excepto Tacito, leniter modo perstringuntur. Idem dici potest de ceteris, Kühnero, Schmalzio, aliis, qui post eum syntaxin totam linguae latinae tractaverunt. Contra, praecipue proximis annis, multi sunt, qui unius vel paucorum illius aetatis scriptorum loquendi consuetudinem aut totam aut aliqua ex parte perquirere aggressi commentationes publici iuris fecerint. Ea, quae opera et labore eorum effecta sunt, nondum in unum collata esse nimirum ex eo pendet, quod complures scriptores haud parvi momenti aut nihil aut parum, quod ad leges syntacticas attinet, sunt exquisiti; imprimis hoc dicendum est de poetis primi post Christum natum saeculi, qui carmina epica scripserunt.

Qua causa commotus aliquam partem sermonis eorum explorare statui et cum usu Vergiliano comparare. Cum autem deliberarem, quae quaestio syntactica examinatione maxime digna esset, liber E. Hoffmanni: »Die Construction der lateinischen Zeitpartikeln» (Wien 1873), mihi in manus incidit, quem legens studio inflammatus sum inspiciendi, qualis esset in carminibus Annaei Lucani, Valerii Flacci, Silii Italici usus particularum temporalium, quippe quae apud scriptores epicos, ut apud historicos, haud parvas partes agerent.

Priusquam ad rem propositam transeo, operae pretium mihi videtur ea breviter exponere, quae homines docti recentioris aetatis de vi et usu coniunctionum temporalium scripserunt. Praecipue magnam operam multi consumpserunt in explorando, quae esset causa coniunctivi imperfecti et plusquamperfecti in sententiis temporalibus a particula cum introductis; quae quaestio inter difficillimas est totius latinae syntaxis. Diversas de hac re sententias hominum grammaticorum exposuit Eduard Lübbertus in libro, qui inscribitur »Die Syntax von Quom und die Entwickelung der relativen Tempora im älteren Latein» (Breslau 1870, pag. 8—27). Licet etiam conferre William Gardner Hale: »Die Cum-konstruktionen» (Leipzig 1891, pag. 1 ss.).

Sententia vulgatissima, praeter quam diu nulla alia prolata erat, haec est, ut dicatur cum temporale secum habere indicativum, ubi nihil nisi temporis determinationem indicet, coniunctivum, ubi non modo tempus, sed etiam interiorem rerum nexum significet. Huius sententiae defensores exstiterunt omnes fere, qui usque ad nostrum tempus in usum scholarum grammaticas ediderunt; sed nexum illum alii aliter intellexerunt. Cum enim alii, ut Zumptius § 578, dicerent, in sententiis temporalibus coniunctivo expressis semper vim causalem

vel adversativam investigari posse eamque causam coniunctivi esse, alii, sicut Lattmannus et Muellerus in grammatica sua § 172, hac ratione repudiata docuerunt coniunctivo uti scriptores, ut indicarent, quid sibi ipsis levioris momenti (»von untergeordneter Bedeutung») videretur; vide praeterea Lübbertum pag. 9—13. Sed hi omnes ad rem explicandam non multum novi contulerunt. Id ante Hoffmannum solus fecit Fabianus in commentationibus, quas scripsit »De constructione particulae Quum» (Progr. Königsberg 1844, Tilsit 1850), quos tamen libellos inspicere mihi non licuit. Eum sententias temporales a cum incipientes, quod ad modos attineret, easdem leges sequi atque sententias relativas statuisse, Lübbertus docet.

Longe aliam viam Emanuel Hoffmannus in libro supra laudato ingressus est. Cum enim priores omnes ad notionem modorum tantum animum attenderent, hic quaestionem solvere conatus est inspiciendo, quo modo tempora utriusque membri periodi temporalis inter se haberent. In prima tamen editione libri sui, quam anno 1860 publici iuris fecit,[1]) legem nudam exposuit, quam usu apud scriptores praecipue classicae aetatis particularum temporalium perscrutando invenerat. Postquam autem Lübbertus legem ab Hoffmanno acceptam fundamentis firmare conatus est, unde apparuit, eum, quid ille voluisset, non recte percepisse, in altera editione (1873) etiam, quid de causa interiore coniunctivi sententiarum temporalium sentiret, docuit. Sententia eius haec fere est.

Propria periodorum temporalium lex est, ut actio sententiae secundariae, quam quidem in idem temporis spatium atque actionem sententiae primariae incidere necesse est, ut aut in tempore praeterito aut in praesenti aut in futuro utraque versetur, ea ipsa temporis forma

[1]) Ex Zeitschrift für die österr. Gymnasien 1860 separatim expressus.

exprimatur, qua ex natura sua etiam soluto sententiarum nexu pronuntianda est; compositas esse sententias, ut tempus unius tempore alterius definiretur, particula iis interposita indicatur. Qua nihil de condicione earum mutari apparet; itaque eadem forma utuntur, ac si per et adiectis simul aut tum inter se coniungantur. Quod Hoffmannus »absolute Zeitgebung» vocat. Huius rei argumentum est, quod particula postquam, quamquam actio sententiae temporalis prior est quam primariae, tamen non semper, quod exspectari poterat, cum plusquamperfecto, sed cum iis formis coniungitur, quae ponerentur, si ambae sententiae primariae essent. Praecipue commemorandum est, quid Hoffmannus de plusquamperfecto indicativi censeat, quod in enuntiatis temporalibus occurrit. Probat enim, hac forma ubique statum rei perfectae designari (plusquamperfectum logicum). Nam cum tempus alicuius rei non nisi alia in eodem temporis spatio sita definiri possit, id solum in sententiis temporalibus adhiberi potest.

Exstat autem altera periodi temporalis forma, in qua actio sententiae secundariae, quod ad formam grammaticam attinet, non ad tempus loquentis refertur, sed ad tempus actionis sententiae primariae, ita quidem, ut designetur, ad quem perfectionis gradum ea pervenerit eo ipso tempore, cum actio sententiae primariae incidit: »relative Zeitgebung». Sed tum et temporis forma et modo hoc significari oportet; tum igitur pro temporibus absolutis ea adhibentur, quibus quid durare aut iam perfectum esse, quo tempore aliud incidit, indicari potest: imperfectum et plusquamperfectum relative usurpata. Tum etiam necesse est coniunctivo uti; nam quam qualitatem is, qui loquitur, actioni sententiae temporalis tribuit, ei tribuit non quod actioni per se insit, sed quia ipse ad actionem sententiae primariae spectat, quo efficitur, ut eam non obiective, sed subiective afferat.

Lübbertus, qui de re ipsa cum Hoffmanno consentit, id praecipue vituperavit, quod non ostenderat, cur temporis relativitas in sententiis temporalibus tantum ac non in aliis sententiis secundariis causa coniunctivi esset. In editione altera hanc rem ita exposuit In sententiis non temporalibus res ipsa, quae iis continetur (»der Inhalt der Aussage, das Prädikat in seiner Existenz»), id est, quo sententia primaria definitur, in temporalibus autem forma temporis (»die Zeitform»): natura igitur inter se multum differunt. Sed omnium sententiarum secundariarum communis lex est, ut coniunctivo exprimantur, cum non obiective, sed subiective dicantur; si res, quae aliis sententiis continetur, ab ea, quam sententia primaria continet, vel a qualitate ejus membri enuntiati, quod definiunt, pendet, coniunctivus ponitur. Quo fit, ut verbum sententiae temporalis, si forma temporis eius a tempore sententiae primariae pendet, coniunctivo formari debeat.

Excepto Lübberto, qui tamen, ut iam commemoravi, in eo, quod gravissimum est, idem ac Hoffmannus sentit, nemo, quantum scio, hanc sententiam impugnavit nisi William Gardner Hale[1]) et ii, qui illi assensi sunt. Is sententiis priorum percensis et repudiatis aliam rationem coniunctivi sententiarum temporalium affert, quam mihi liceat paucis verbis indicare.

In syntaxi linguae latinae structuras nonnullas coniunctivas invenimus, quae in nulla alia lingua exstant: coniunctivum, quae est in sententiis consecutivis, quae aliquid certi continent; coniunctivum sententiarum relativarum vim qualitativam habentium; coniunctivum sententiarum temporalium. Has structuras aliquo modo inter se cohaerere, veri simile est. Coniunctivum sententiarum

---

[1]) The cum-Constructions: their history and functions. Cornell University. Studies in Classical Philology. Ithaca, N. Y. 1887. In germanicum convertit A. Neitzert, Leipzig 1891.

relativarum ad correlatum indefinitum spectantium eundem esse atque eum, qui in sententiis consecutivis a particula ut introductis occurrit, nemo dubitavit. Credibile est, eum ex illis etiam in eas, quae significationem causalem vel adversativam praebent, irrepsisse. Si autem sententias temporales cum relativis comparamus, elucet, ea quoque inter se simillimas esse; cum nihil aliud est quam forma pronominis relativi qui; diversa genera illarum formis variis harum respondent. Itaque ut sententiarum relativarum duo genera sunt, determinativa, quae vocatur, quae indicativo exprimitur, et qualitativa (charakterisierende), ubi coniunctivus poscitur, ita etiam in enuntiatis temporalibus determinativas et qualitativas distinguere possumus. Sententia temporalis determinativa indicativo formata nominat tempus, quo actio primaria fit (das Datum); sententia temporalis qualitativa coniunctivo expressa statum rerum exponit, qui est eo tempore, quo actio primaria fit; illa respondet quaestioni: Quod tempus? haec quaestioni: Quale tempus? Hoc primum recte dicitur de iis sententiis, quae ad correlatum sententiae primariae spectant. Sed ex his ortae sunt eae, quae sententiam primariam antecedunt et verbo correlativo carent. Eas inter se non multum differre Hale hoc modo ostendit:

Accepit agrum temporibus eis, cum iacerent pretia praediorum.

Accepit agrum tum, cum iacerent pretia praediorum.

Emit agrum tum, cum iacerent pretia praediorum.

Tum cum iacerent pretia praediorum, emit agrum.

Cum iacerent pretia praediorum, emit agrum.

Ita Hale se totam quaestionem solvisse credit.

Ut se contra Halium defenderet, Hoffmannus anno 1891 libellum[1]) edidit, ubi refutatis iis, quae ille in sen-

---

[1]) Das Modus-Gesetz im lateinischen Zeitsatze. Wien 1891.

tentia eius reprehenderat, demonstrat, eum quoque non recte intellexisse, quid voluisset. De ratione, quam Hale proposuit, non multum dicit; id tantum animadvertit sententias temporales primariam antecedentes analogon habere non posse inter sententias relativas, quippe quae ad notionem nominalem sententiae primariae pertineant, ideoque causam coniunctivi earum hac via reperiri non posse.

De hac re praeterea conferre licet: H. Lattmann, Selbständiger und bezogener Gebrauch der Tempora im Lateinischen (Göttingen 1890). M. Wetzel, Das Recht in dem Streite zwischen Hale und Hoffmann (Paderborn 1891). Etiam M. Heynacher, Wochenschrift f. class. Phil. IX pag. 845.[1])

Mihi tantum non sumo, ut diiudicare audeam, utrum Hoffmanno an Halio palma huius pugnae deferenda sit. Tamen infitiari non possum, sententiam Hoffmanni argumentis certioribus fultam esse mihi videri; quae etiam a plurimis viris doctis nostrae aetatis accepta est.

Auctores epicos aevi argentei, quod ad rem syntacticam attinet, usque ad hoc tempus a viris doctis nimis neglectos esse, iam supra dixi. Quantum scio, hi soli de ratione grammatica, qua usi sunt Lucanus, Valerius Flaccus, Silius in carminibus suis, disputaverunt:

Bussenius, De Valerii Flacci in adhibendis comparationibus usu. Progr. Lübeck 1872.

Schmitz, De Valerii Flacci dicendi genere quaestiones. Diss. Monasterii 1872 (de collocatione verborum et de ellipsi verbi esse).

Koerber, De Lucani usu syntactico. Progr. Petersburg 1874 (casuum syntaxis).

---

[1]) Postquam haec scripsi, etiam A. Dittmar hanc quaestionem tractavit in libro, qui inscribitur »Studien zur lateinischen Moduslehre« (Leipzig 1897).

Fr. L. Berthold, De Lucani elocutione poetica. Diss. Grimmae 1879 (de verborum figuris).

J. Schmidt, De usu infinitivi apud Lucanum, Valerium Flaccum, Silium Italicum. Diss. Halis 1881.

J. Österberg, De structura verborum cum praepositionibus compositorum, quae exstant apud C. Valerium Flaccum etc. Diss. Holmiae 1883.

J. Schinkel, Quaestiones Silianae. Diss. Lipsiae 1884 (quae usum infinitivi tractat).

J. Obermeier, Der Sprachgebrauch des M. Annaeus Lucanus. Progr. München 1886 (de membris sententiae absolutae).

G. Hundt, De M. Annaei Lucani comparationibus. Diss. Halis 1886.

J. Österberg, De struct. verb. c. praep. comp., quae exst. ap. Silium Italicum. Progr. Göteborg 1895.

E. Nordenstam, De struct. verb. c. praep. comp., quae exst. ap. M. Annaeum Lucanum. Comm. acad. Upsal. Göteborg 1896.

Sed cum constet, ea, quae auctoris cujusdam in dicendi genere propria sunt, optime intelligi, si eum cum scriptoribus antecedentibus comparamus, non acquiescendum putavi in horum elocutione perscrutanda, sed per totam commentationem meam in structuris diversis afferendis primum exposui, qualis esset sermonis consuetudo Vergilii, ad cuius normam scimus posteriores poemata sua maxime conformavisse. Præterea aptum mihi visum est, præcipue ubi de structuris minus usitatis ageretur, ducibus Hoffmanno, Kühnero, Draegero breviter afferre, quo tempore quaeque orta esse videatur.

Quamquam initio statueram de omnibus particulis temporalibus in hac commentatione disserere, tamen per temporum angustias mihi non licuit hic exponere, quo

modo auctores nostri particulis dum, donec, antequam, priusquam uterentur. Sed spero, me alio tempore ad eas redire posse.

Denique animadvertendum est, me in exemplis afferendis imprimis has editiones secutum esse: P. Vergilii Maronis opera, rec. Otto Ribbeck. Lipsiae 1860—68; M. Annaei Lucani de bello civili libri X, ed. C. Hosius. Lipsiae 1892; C. Valerii Flacci Argonauticon libri octo, enarr. P. Langen. Berolini 1896—97 (Berliner Studien für class. Philologie und Archaeologie); Sili Italici Punica, ed. L. Bauer. Lipsiae 1890—92.

Primum videamus, quanti sint apud singulos auctores nostros numeri locorum, quibus particulae illae temporales, quas tractabimus, inveniuntur:

	Buc. et Georg.	Aen.	Verg.	Luc.	Val.	Sil.	
Cum	79	159	238[1]	164	113	212	727
Postquam	5	37	42	36	10	83	171
Ubi	35	68	103	32	47	87	269
Ut	1	58	59	68	37	69	233
Simul	2	3	5	2	4	4	15
	122	325	447	302	211	455	1415

Exstant igitur in singulis millibus versuum hi numeri locorum:

	Buc. et Georg.	Aen.	Verg.	Luc.	Val.	Sil.	Omnes.
Cum	26,19	16,07	18,43	20,36	20,21	17,37	18,76
Postquam	1,66	3,74	3,25	4,46	1,79	6,80	4,41
Ubi	11,60	6,87	7,98	3,97	8,41	7,13	6,94
Ut	0,33	5,86	4,57	8,44	6,62	5,66	6,01
Simul	0,66	0,30	0,39	0,25	0,71	0,33	0,38
	40,45	32,85	34,62	37,48	37,74	37,29	36,50

[1]) Hoffmann pag. VII apud Vergilium 252 locos inveniri dicit. Eum ad hunc numerum pervenisse nimirum ex eo pendet, quod singulos locos, ubi duae sententiae temporales coordinatae occurrunt, ut bina exempla affert; quos ego ubique fere pro singulis exemplis habui.

Deinde numeros exemplorum cum continentium cum ceteris universis comparemus:

	Buc. et Georg.	Aen.	Verg.	Luc.	Val.	Sil.	
Cum	79	159	238	164	113	212	727
Ceterae	43	166	209	138	98	243	688

In singulis millibus versuum:

	Buc. et Georg.	Aen.	Verg.	Luc.	Val.	Sil.	Omnes.
Cum	26,19	16,07	18,43	20,36	20,21	17,37	18,76
Ceterae	14,26	16,78	16,19	17,12	17,53	19,92	17,74

Ex his numeris videmus igitur: si auctores respicimus, 1° numeros sententiarum a cum incipientium et earum, quae alias particulas praebent, apud omnes non multum inter se differre; 2° ab omnibus tamen cum paulo saepius adhiberi excepto Silio, qui ceteras magis amat; sin autem carmina spectamus, 3° Vergilium in Bucolicis et Georgicis cum duplo fere pluribus locis quam ceteras usurpare, in Aeneide autem numerum locorum cum praebentium paulo minorem esse.[1])

[1]) Quo modo haec res apud historiarum scriptores nonnullos se habeat, ex iis numeris apparet, quos Hoffmann pag. 2 ss. et pag. 12 dat:

	Cum	Postquam, ubi, ut, simul.
Sallustius	69	214
Velleius Paterculus	176	14
Tacitus	372	minus 300
Florus	204	28

Quod ad Tacitum attinet, hoc concludere audeo ex eo, quod Hoffmann pag. 3 dicit: »Bei T. finden sich ubi und postquam an je 113 Stellen; seltener ist ut gebraucht; simulac hat T. nie«.

CUM.

Inter particulas temporales, quas tractare suscepimus, apud omnes auctores nostros cum primum locum tenere, iam vidimus. Etiam ex tabulis illis apparet, inter Vergilium, si omnia carmina eius spectamus, et posteriores, quod ad frequentiam relativam attinet, non magnum discrimen interesse: Lucanus et Valerius Flaccus paulo maiorem, Silius paulo minorem numerum locorum quam Vergilius praebet. Sed de carminibus Vergilii animadvertendum est, in Bucolicis et Georgicis cum multo saepius quam in Aeneide occurrere. Quo etiam fit, ut in Aeneide haec particula rarius inveniatur quam apud posteriores. Ordo igitur hic est.

In singulis millibus versuum praebent

Bucolica et Georgica	26,19	locos.
Lucanus	20,36	»
Valerius Flaccus	20,21	»
Vergilii omnia opera	18,43	»
Silius	17,37	»
Aeneis	16,07	»

Contra cum modorum, qui in sententiis particula cum introductis adhibentur, rationem reddiderimus, apparebit, differentiam maiorem esse atque non solum inter Vergilium et poetas argenteae aetatis, sed etiam inter hos ipsos. Hoc iam ex his numeris elucet:

	Indicat.	Coniunct.
Bucolica et Georgica	65	14
Aeneis	132	27
Vergilius	197	41
Lucanus	101	63
Valerius Flaccus	99	14
Silius	145	67

Habent igitur in singulis millibus versuum

Bucolica et Georgica	21,55	indic.
Valerius Flaccus	17,71	»
Vergilii omnia opera	15,26	»
Aeneis	13,34	»
Lucanus	12,54	»
Silius	11,88	»

In exemplis coniunctivis ordinem longe alium invenimus; hi enim numeri in singulis millibus versuum exstant:

Lucanus	7,82	coniunct.
Silius	5,49	»
Bucolica et Georgica	4,64	»
Vergilii omnia opera	3,17	»
Aeneis	2,73	»
Valerius Flaccus	2,50	»

Quae sit ratio inter hos numeros, etiam clarius ex tabula sequente cernitur. In centenis enim locis indicativo formatis praebent:

Lucanus	62,38	locos	coni.
Silius	46,21	»	»
Bucolica et Georgica	21,54	»	»
Vergilii omnia opera	20,80	»	»
Aeneis	20,45	»	»
Valerius Flaccus	14,14	»	»

Comprehendamus ea, quae ex numeris allatis concludere possumus: 1° apud omnes auctores nostros coniunctivus multo rarius quam indicativus post particulam cum occurrit (contra usum historiarum scriptorum);[1] 2° Lucanus[2] et Silius[3] longe saepius coniunctivo utuntur quam Vergilius, Valerius Flaccus autem ad usum Vergilianum magis se applicans hunc modum paucis tantum locis adhibet; 3° inter carmina Vergilii, quod ad rationem modorum attinet, nullum fere discrimen interest.

---

[1]) Apud Hoffmannum pag. 1 ss. hos numeros inveni:

	Indic.	Coniunct.
Caesar	35	383
Cornelius Nepos	17	plus 300
Livius	272	2864
Sallustius	29	40
Velleius Paterculus	9	167
Tacitus	94	278
Florus	25	179

Contra apud scriptores comicos coniunctivus post cum temporale rarissimus est: Plautus: ind. 229 l. coni. 9 l.; Terentius: ind. 72 l. coni. 5 l.; vide Lübbertum pag. 75, 95. Confer praeterea Dræger II² pag. 543 s. Hoffmann pag. 176 ss.

[2]) De Lucano tamen observandum est, in dimidia fere parte locorum, ubi coni. occurrit, vim causalem vel concessivam inesse.

[3]) Forsitan exemplo Livii motus; de Silio Livii imitatore vide: L. Bauer, Das Verhältniss der Punica des Silius Italicus zur dritten Dekade des T. Livius. Diss. Erlangen 1883.

Indicativus.

A. Tempora primaria et quidem eiusdem generis in utraque sententia sunt.

I. Praesens in utraque sententia: aut de rebus iteratis aut de actione singulari agitur.

1. Actio iterata vel generatim dicta designatur. Haec structura apud nostros auctores, ut omnibus temporibus,[1]) saepe invenitur. Aptum erit eos locos, ubi de comparatione agitur, separatim enumerare. Primum igitur ea exempla afferam, ubi

a. Comparatio non inest.

α. Praesens logicum est.

Vergilius hanc structuram saepe in Georgicis adhibet (17 locis), in ceteris carminibus ter tantum: Georg. II 423:

Ipsa satis tellus, cum dente recluditur unco,
sufficit umorem et gravidas, cum vomere, fruges.

Georg. I 370. II 218. III 132. 357. 461. Aen. IV 208. VII 603.[2])

Nonnumquam adverbium temporis, ad sententiam temporalem spectans, in sententia primaria invenitur: Georg. I 215:

Tum te quoque, Medica, putres
accipiunt sulci et milio venit annua cura,
candidus auratis aperit cum cornibus annum
taurus et adverso cedens canis occidit astro

[1]) Draeger II², pag. 544 s.

[2]) De hoc loco confer pag. 52.

Georg. I 107. 310. 360. Aen. XI 378. Præterea Georg. I 43. III 435, quos locos infra afferam.

Cum primum semel occurrit: Georg. I 113:

Luxuriem segetum tenera depascit in herba,
cum primum sulcos aequant sata.

Coniugatio periphrastica passivi in sententia primaria nobis occurrit Georg. I 313.[1])

Praesens coniunctivi hortativi sententia primaria duobus locis praebet: Georg. I 43:

Vere novo, gelidus canis cum montibus humor
liquitur et Zephyro putris se glaeba resolvit,
depresso incipiat iam tum mihi taurus aratro
ingemere.

Georg. III 435.

Pro coniunctivo hortativo infinitivus a verbo iubendi pendens invenitur: Georg. III 302:

(Iubeo) stabula a ventis hiberno opponere soli
ad medium conversa diem, cum frigidus olim
iam cadit extremoque inrorat aquarius anno.

Postremum huc refero etiam duo exempla, ubi in sententia primaria perfectum coniunctivi potentialis praesentis vim habens exstat: Georg. I 450:

Hoc etiam, emenso cum iam decedit Olympo,
profuerit meminisse magis.

Georg. III 139.

Apud Lucanum loci 12 huius generis inveniuntur: I 514:

Cum pressus ab hoste
clauditur externis miles Romanus in oris,
effugit exiguo nocturna pericula vallo.

I 409. III 57. 423.[2]) IV 135. 490. VI 27. 335. VIII 485. IX 528.

---

[1]) Cfr pag. 57.

[2]) Pro pavet Servius (Georg. IV 401) praebet tunc; codicum lectionem retinui.

Observandum est VIII 492:

Facere omnia saeve
non inpune licet, nisi cum[1]) *facis.*

Semel tantum adverbium in sententia primaria additum est: V 582:

De quo (Caesare) male tunc fortuna meretur,
cum post vota venit.

Valerius Flaccus septem praebet exempla: I 47:

Ipsum iuvenem tam saeva gementem,
ipsum ego, cum serus fessos sopor alligat artus,
aspicio.

II 507.

Verbum temporis praesentis in sententia primaria auditur: VI 411:

Libyco nec talis imago
litore, cum fractas involvunt aequora puppes.

III 56.

Tribus locis adverbium tunc occurrit: I 594:

Cum iam prohibere frementum
ora nequit, rex tunc aditus et claustra refringit
ipse volens.

V 673.

Etiam praesens coniunctivi hortativi semel in sent. prim. invenitur: IV 606:

Ne tibi tunc horrenda rapax ad litora puppem
ventus agat, ludo volitans cum turma superbo
pulvereis exsultat equis.

Apud Silium 12 locos inveni: III 147:

Gaudetque senecta
gloria, cum longo titulis celebratur in aevo.

III 379. 671. VII 455. XI 338. XIII 591. 664.

---

[1]) Grotius: dum.

Praedicatum sententiae primariae deest: V 59:
Ales, priscum populis de more Latinis
auspicium, cum bella parant mentesque deorum
explorant super eventu.
XVII 633.

Verbum sententiae temporalis auditur: VII 88:
Tanta adeo, cum res trepidae, reverentia divum
nascitur.

Licet conferre XI 166: *dum res trepidae.*

Adverbium tum (tunc) in hac structura apud Silium non occurrit. Quotiens uno loco sententiam primariam incipit: XIII 667:
Heu, quotiens intrat mea pectora terror,
cum repeto, quam saevus eas.

Praesens coniunctivi in sent. prim.: IX 50:
Nonne vides, cum vicinis auditur in arvis,
quam subitus linquat pallentia corpora sanguis.

β. Praesens historicum de rebus iteratis apud Vergilium non invenitur, apud posteriores nonnullis locis.

Lucanus unum locum praebet: V 640:
Cumque tumentes
rursus hiant undae, vix eminet aequore malus.

Valerius Flaccus quattuor: III 604:
Ipse vel excelsi cum densa silentia montis
strata vel oblatis ductor videt aequora ventis,
stat lacrimans magnoque viri cunctatur amore.
II 435 (tunc in sent. prim.). V 123. VII 359.

Postremo apud Silium duo loci occurrunt: I 257:
Flammiferis tellus radiis cum exusta dehiscit,
candentique globo medius coquit aethera fervor,
femineum putat humenti iacuisse sub umbra
exercetque sitim et spectato fonte recedit.
V 176.

b. In comparationibus haec structura usitatissima est. In exemplis huius generis nonnumquam tamen difficile est diiudicare, utrum actio ut singularis an ut iterata intelligenda sit; exempli gratia affero Aen. IV 469. VII 674. Val. Fl. VIII 446. Omnia autem exempla, quorum actio iterata esse potest, hic afferam; ea tantum, in quibus actionem singularem esse apparet, infra pag. 23 s. laudabo.

Quo facilius diversas formas vel figuras comparationum sententiam temporalem continentium perlustrare et comparare possimus, ubicumque de comparationibus quaestio erit, hac partitione utar:

Forma I: sententia temporalis a sententia primaria pendet; particula comparativa deest aut in altero membro comparationis positum est; exempli gratia: Silius XVII 416:

Caerulus haud aliter, cum dimicat, incola Thyles
agmina falcigero circumvenit arta covinno.

Forma II: sententia temporalis a sententia comparativa pendet: Val. Fl. IV 286:

Avia responsant gemitu iuga: pervigil ut cum
artificum notat ipse manus et fulmina Cyclops
prosubigit, pulsis strepitant incudibus urbes.

Forma III: constructio elliptica est: temporalis sententia pendet ab enuntiato comparativo, quod subauditur: Verg. Aen. IX 433:

Pulchrosque per artus
it cruor inque umeros cervix collapsa recumbit:
purpureus veluti cum flos succisus aratro
languescit moriens.

α. Praesens logicum.

Apud Vergilium praesens logicum in utraque sententia comparationis exstat aut subauditur 26 locis.

Forma I non exstat.

Forma II: Aen. I 430:

Qualis apes aestate nova per florea rura
exercet sub sole labor, cum gentis adultos
educunt fetus aut cum liquentia mella
stipant et dulci distendunt nectare cellas.

Georg. IV 170. Aen. II 626. IV 402. VII 462. 699. 718. IX 669. XI 297. XII 365. 701. = 11 l.

Forma III: Ecl. VIII 84. Georg. III 346. IV 96. Aen. IV 441. 469. VIII 622. IX 59. 433 (vide supra). 792. X 97. XII 103. 331. 473. 684. = 14 l.

Adverbium olim in sententia comparativa: Aen. VIII 389:

Notusque medullas
intravit calor et labefacta per ossa cucurrit,
non secus atque olim, tonitru cum rupta corusco
ignea rima micans percurrit lumine nimbos.

Lucanus hanc structuram minus saepe usurpat; sex tantum loci occurrunt.

Forma I bis invenitur: VI 293:

Non sic Aetnaeis habitans in vallibus horret
Encelado spirante notum, cum tota cavernas
egerit et torrens in campos defluit Aetna,
Caesaris ut miles.

VIII 199.

Forma II quattuor locis: I 259:

Sed quantum, volucres cum bruma coercet,
rura silent mediusque iacet sine murmure pontus,
tanta quies.

II 454. VI 65. 263.

Forma III non exstat.

Valerius Flaccus 16 locos praebet.

Forma I, ut apud Vergilium, non exstat.

Forma II sexies: III 208. 577. IV 44. 286 (vide supra). 564.[1]) V 368.

Forma III, ut apud Vergilium, saepe occurrit: III 163:
Ac veluti densa iuvenum cum magna securi
silva labat cuneisque gemit grave robur adactis
iamque abies piceaeque ruunt, sic dura sub ictu
ossa virum malaeque sonant.

II 463. IV 280. V 304. VI 353. 402. VII 23. 400. 645.

Huc referri debet etiam VIII 114:
Servabant bracchia pellem,
nubibus accensis similem aut cum veste recincta
labitur ardenti Thaumantias obvia Phoebo (= talem, qualis Th. est, cum labitur).

Apud Silium 22 (23) exempla huius generis inveni.

Forma I: XVII 416 iam supra laudavi; praeterea IX 606. X 109. XII 247.

Forma II decem locis usurpatur: IX 358:
Mitia ceu viridis agitant cum flamina culmos,
necdum maturos impellit ventus aristas,
huc atque huc it summa seges.

III 294. V 395. VII 364. X 18. 124. XIV 623. XV 769. XVI 98.

De IV 302 vide pag. 45.

Adverbium interea in sententia comparativa additum est: XVII 207:
Ceu flamina comprimit Auster,
cum fera et abscedens reddit mare, navita parco
interea voto non auras poscit amicas,
contentus caruisse noto.

---

[1]) Lectionem Baehrensii sequor; de hoc loco vide editionem eius, pag. XLI.

Forma III Silius minus saepe quam Vergilius et Valerius Flaccus utitur. Exstant exempla octo: V 279:

Tum vero aspiceres pavitantem et condere semet
nitentem sociis iuvenem, ceu tigride cerva
Hyrcana cum pressa tremit eqs.

VII 139. IX 41. X 77. 164. XV 676. XVI 384. XVII 474.

β. Praesens historicum in comparationibus paucis tantum locis apud Vergilium et Valerium Flaccum exstat. Vergilius tres locos praebet:

Forma II bis: Aen. X 763:

Quam magnus Orion,
cum pedes incedit medii per maxima Nerei
stagna viam scindens, umero supereminet undas.

Aen. VII 674.

Forma III Aen. XI 659 occurrit.

Valerius Flaccus unum formae III: VIII 446:

Qualem Ogygias cum tollit[1]) *in arces*
Bacchus et Aoniis inlidit Thyiada truncis,
talis erat.

Apparet igitur, Valerium Flaccum, si magnitudinem operum respicimus, plurimum inter auctores nostros comparationes huius generis amare, eas autem apud Lucanum haud saepe inveniri, quod etiam infra (pag. 52, 128) apparebit. Quod ad formas illas attinet, forma I, quae omnino rarius quam ceterae adhibetur, apud Vergilium et Valerium Flaccum non exstat; contra illi forma III, quae apud Lucanum deest, tam saepe utuntur, ut exempla apud eos huius generis plus dimidia parte totius numeri sunt. Forma II compluribus locis ab omnibus usurpatur.

---

[1]) Haec est lectio cod. Vaticani, quam Thilo retinuit; Langen cum tollit in contollit mutavit, quod tamen non credo necessarium esse.

2. Actio sententiae temporalis singularis est. Draeger[1]) ex Plauto et Terentio solis exempla affert; de usu posteriorum nihil dicit. Ex nostris auctoribus haec exempla huc refero.

a. Praesens logicum:
Vergilius duos locos habet: Ecl. III 16:
Quid domini faciant, audent cum talia fures?

Aen. XI 303:
Non tempore tali
cogere concilium (*sc. volo sive velim*), *cum muros*
adsidet hostis.

Apud Lucanum duo exempla eiusdem fere generis exstant; nunc in sententia primaria ponitur: V 739:
Non nunc vita mihi dulcior, inquit,
cum taedet vitae, laeto sed tempore, coniunx.

IX 264:
Nunc patriae iugulos ensesque negatis,
cum prope libertas?

Observandus etiam est locus, ubi cum (non ante quam cum) translate pro ubi relativum ponitur: II 432:
(*Appenninus*) *non deserit ante*
Hesperiam, quam cum Scyllaeis clauditur undis
extenditque suas in templa Lacinia rupes.

Valerius Flaccus praesens logicum de actione singulari semel tantum habet, et quidem in structura non multum usitata. Nisi fallor, est constructio illa elliptica, de qua Draeger (II² pag. 545)[2]) loquitur, dicens, temporalem enuntiationem observationem continere, qua nitatur sententia, quae in enuntiato primario inest. Multis exemplis ex Plauto et Terentio enumeratis ait: »Diese

---

[1]) II² pag. 546.
[2]) Confer etiam Lübbert pag. 46.

Verbindungen mögen der Sprache des Umganges eigenthümlich gewesen sein; dass sie aber aus späterer Zeit so gut wie gar nicht citirt werden, ist wohl Zufall.»

Locus, de quo agitur, est: II 641:

Non tamen haec adeo semota neque ardua tellus
regnaque iam populis impervia lucis eoae,
cum tales intrasse duces, tot robora cerno.

Cum hoc loco comparemus exempli gratia Plaut. Men. 1064: *haud est dissimilis, meam quom formam noscito.* Hoc plane idem valet ac h. e. diss., quod video, meam quom formam noscito vel meam quom formam noscito, video, eum haud dissimilem esse. Nostrum autem exemplum significat: hæc tellus non adeo semota est: id nunc intelligo, cum cerno eqs. vel hanc tellurem non adeo semotam esse, nunc intelligo, cum cerno eqs. Has structuras easdem esse apparet.

Silius hac constructione nusquam utitur.

b. Praesens historicum de actione singulari inter auctores nostros Valerius Flaccus solus adhibet; praebet locos quattuor, qui omnes comparationes continent:

Forma II semel invenitur: VII 301:

Saevus Echionia ceu Penthea Bacchus in aula
deserit infectis per roscida cornua vittis,
cum tenet ille deum eqs.

Forma III tribus locis: VII 622:

Nec magis aut illis aut illis milibus ultra
sufficit, ad dirae quam cum Tirynthius hydrae
agmina Palladios defessus respicit ignes.

III 224. VIII 228.

Nonnullis locis sententia temporalis enuntiationem primariam explicat: cum explicativum. Draeger[1]) et

[1]) II² pag. 546 ss. Hoffmann, pag. 126 ss.

ex scriptoribus comoediarum et ex posterioribus exempla affert. Tria genera internosco.

a. Notio in sententia primaria verbalis explicatur:

Ex Vergilii Aeneide huc refero: XI 406 (Subaudio omnia magno turbat metu ex v. 400 s.):[1]

Vel cum se pavidum contra mea iurgia fingit
artificis scelus et formidine crimen acerbat.

Hic de re singulari agi videtur. Contra in his exemplis plane actio generatim dicta est:

Valerius Flaccus II 128:

Cunctas mihi verte domos, praecurrere qualis
bella soles, cum mille tubas armataque campis
agmina et innumerum flatus confingis equorum.

Silius XVII 653:

Nec vero, cum te memorat de stirpe deorum,
prolem Tarpei mentitur Roma Tonantis.

b. Nominalis notio, in qua nulla significatio temporis inest, explicatur. Tria exempla annotavi; actio generatim dicta est.

Lucanus VI 454:

Nec noxia tantum
pocula proficiunt aut cum turgentia suco
frontis amaturae subducunt pignora fetae.

Hic sententia temporalis ad notionem nominalem cum verbo pocula coordinatum refertur.

Silius XI 167:

Is locus officio, cum cessant prospera, cumque
dura ad opem Fortuna vocat.

XVII 641:

Nec mitis Hiberus,
cum simul illidit ponto, quos attulit, amnes.

Notio non mitis per sententiam temporalem explicatur.

[1]) Cfr Ladewig-Schaper, Vergil's Gedichte, l. l.

c. Notio temporalis sententiae primariae explicatur.

α. Sententia temporalis ad totam sententiam primariam spectat; de rebus singularibus agitur. Duos locos apud Vergilium inveni: Aen. III 645:

Tertia iam Lunae se cornua lumine complent,
cum vitam in silvis inter deserta ferarum
lustra domosque traho.

Ita etiam Aen. V 626.

Exempla huius generis apud ceteros auctores nostros non exstant. Licet autem conferre Sil. XV 526: *Decima haec iam vertitur aestas, ex quo proterimur.* Vide praeterea Verg. Aen. V 47. Sil. XIII 673.

β. Notio temporalis, quam sententia secundaria explicat, membrum modo sententiae primariae est. Illa describit, quale id tempus esse soleat, quo actio huius fieri dicitur.

Apud Vergilium haec exempla inveniuntur: Georg. II 321:

Prima vel autumni sub frigora, cum rapidus Sol
nondum hiemem contingit equis, iam praeterit aestas.

Georg. III 336:
Solis ad occasum, cum ...

Notio temporalis, quae describitur, subauditur: Ecl. X 67:

Nec si, cum moriens alta liber aret in ulmo,
Aethiopum versemus ovis sub sidere Cancri.

Praeter ea unum locum apud Lucanum inveni, ubi notio temporalis, quae in sententia temporali describitur, adiectivum est: X 229:

Nec tumet hibernus (Nilus), cum longe sole remoto
officiis caret unda suis.

Si strato ponto pro notione temporis habemus, hoc loco afferri debet etiam Silius XIV 274:

Strato Gaulum spectabile ponto,
cum sonat alcyones cantu nidosque natantis
immota gestat, sopitis fluctibus, unda.

De hac structura confer præterea pag. 56 s.

II. Futurum in utraque sententia exstat.[1])

a. Actio iterativa raro occurrit. Habemus septem locos, quorum quinque apud Vergilium.

α. Futurum simplex in enuntiatione temporali. Etiam in sent. prim. futurum simplex exstat: Vergilius Ecl. V 74:

Haec tibi semper erunt, et cum sollemnia vota
reddemus Nymphis et cum lustrabimus agros.
Georg. I 438. 458.

Lucanus VII 207:
Haec et apud seras gentes populosque nepotum,
— — *cum bella legentur,*
spesque metusque simul perituraque vota movebunt.

Futurum imperativi: Verg. Georg. I 187:
Contemplator item, cum se nux plurima silvis
induet in florem et ramos curvabit olentes.

β. Futurum exactum in sententia temporali; in sent. prim. futurum simplex: Vergilius: Aen. VI 90:

Nec Teucris addita Iuno
usquam aberit, cum tu supplex in rebus egenis
quas gentis Italum aut quas non oraveris urbes!

---

[1]) Draeger II² p. 549 ss.

Valerius Flaccus I 466:

Cumque aethera Iuppiter umbra
perdiderit, solus transibit nubila Lynceus.

b. Actio singularis sæpius.

α. Futurum simplex in sententia temporali. Ita etiam in sent. prim.: Vergilius Aen. VI 873:

Vel quae, Tiberine, videbis
funera, cum tumulum praeterlabere recentem!

Pronomen demonstrativum in sententia prim. additum est: Aen. III 389:

Cum — — — jacebit,
is locus urbis erit.

Cum primum occurrit: Aen. VIII 170:

Et, lux cum primum terris se crastina reddet,
auxilio laetos dimittam opibusque iuvabo.

Lucanus item tres locos habet: I 45:

Te, cum statione peracta
astra petes serus, praelati regia caeli
excipiet gaudente polo.

VIII 846.

Cum primum: VIII 431:

Non tibi, cum primum gelidum transibis Araxen,
umbra senis maesti Scythicis confixa sagittis
ingeret has voces?

Ex Valerio Flacco quinque exempla huc refero: I 15:

Ille tibi cultusque deum delubraque centum
instituet, cum iam, genitor, lucebis ab omni
parte poli.

Verbum sententiae primariæ deest: IV 524:

Mox tamen et vobis similis fuga, cum premet arcus
letifer.

I 170.

Verbum erunt in sententia temporali subaudio: VII 331:

'Tune sequeris', ait, 'quidquam aut patiere pudendum,
cum tibi tot mortes scelerisque brevissima tanti
effugia?'

Nonnullis locis adverbium ponitur: I 181:
Tunc adero, primas linquet cum puppis harenas.
I 170. IV 524 (cfr supra).

Cum primum apud Valerium Fl. omnino non occurrit. Pro eo utitur cum primus: I 181 (vide supra).

Silius duos tantum locos habet: XIII 864:
Quantas moles, cum sede reclusa
hinc tandem erumpent, terraque marique movebunt!
XVI 621.

Imperativus in enuntiatione prim. quinquies invenitur. Vergilius in hac structura semper imperativo futuri utitur,[1]) ut etiam Plautus, Terentius, Cicero; Livius iam praesens imperativi adhibet.[2]) Apud scriptores argenteae aetatis praesens multo saepius occurrere videtur.

Vergilii Ecl. III 77:
Cum faciam vitula pro frugibus, ipse venito.
Tum in sent. prim. ponitur: Aen. VII 124.
Cum primum semel exstat: Ecl. VII 39:
Cum primum pasti repetent praesepia tauri,
si qua tui Corydonis habet te cura, venito.
Lucanus uno loco praesens praebet: V 589:
Tunc Calabro portu te crede potitum,
cum iam non poterit puppi nostraeque saluti
altera terra dari.
Valerius Flaccus nullum talem locum habet.

---

[1]) Confer etiam Georg. I 187 aα et Aen. XII 438 bβ.
[2]) Lübbert, pag. 215 ss. Draeger II² pag. 549, 554.

Apud Silium tertia persona futuri imperativi semel occurrit: IX 33:

Dux sibi quisque viam rapito, cum spargere primis
incipiet radiis Gargana cacumina Phoebus.

β. Futurum exactum in sent. temporali.

Futurum simplex in sent. primaria omnino septem locis inveni:

Vergilius quattuor locos habet: Aen. IV 385:

Et, cum frigida mors anima seduxerit artus,
omnibus umbra locis adero.

Georg. IV 401. Aen. IV 436.

Tum in sententia temporali ponitur: Ecl. IX 67:

Carmina tum melius, cum venerit ipse, canemus.

Lucanus, Valerius Flaccus, Silius singula exempla hujus structurae præbent: Lucanus I 72:

Sic, cum conpage soluta
saecula tot mundi suprema coegerit hora,
anticum repetens iterum chaos, omnia mixtim
sidera sideribus concurrent eqs.

Valerius Flaccus IV 582:

Pontum penetraverit ulla
cum ratis et rapidi steterint in gurgite montes,
tunc sperare modum poenae veniamque licebit.

Silius V 88:

Cum fulserit hora, cruentam
quae stragem Libyae portet, tum signa sequentur.

Imperativus in sententia primaria octo locis exstat. Apud Vergilium futurum est, apud ceteros ubique præsens.

Vergilius unum tantum locum habet: Aen. XII 438:

Tu facito, mox cum matura adoleverit aetas,
sis memor.

Lucanus tres: V 788:

Cum te commiseris undis,
quolibet infaustam potius deflecte carinam.

IX 87.

Adverbium tunc additum est: I 21:

Tunc, si tantus amor belli tibi, Roma, nefandi,
totum sub Latias leges cum miseris orbem,
in te verte manus.

Valerius Flaccus duo: III 501:

Finem cum Phasidis alti
transierit Perses aciemque admoverit urbi,
coepta refer paulumque nefas et foedera necte.

VII 469.

Silius item duo: XIII 413:

Vade, age et, a medio cum se nox humida cursu
flexerit, ad fauces vicini castus Averni
duc praedicta sacris duro placamina Diti.

Subauditur erit: III 81:

Cumque datum fari, duc per cunabula nostra.

Futurum exactum in utraque sententia apud nostros auctores non exstat.

Cum explicativum, ad notionem temporis sententiae primariae spectans, apud Vergilium et Silium septies occurrit in genere dicendi veniet, erit tempus, aetas, cum.[1])

Sex loci futurum simplex praebent, quorum tres apud Vergilium inveniuntur: Aen. I 283:

Veniet lustris labentibus aetas,
cum domus Assaraci Phthiam clarasque Mycenas
servitio premet ac victis dominabitur Argis.

Georg. I 493. Aen. X 11.

---

[1]) Drægerum nulla eiusmodi exempla præbere, miror.

Silius quoque tria exempla habet: XVI 272:
Hunc fractum bello regem solioque revulsum,
tempus erit, cum ducet agens ad templa Tonantis,
qui tunc orabat socialia foedera supplex.

Quondam additum est: XI 123:
Veniet quondam felicior aetas,
cum pia Campano gaudebit consule Roma.
XV 125.

Futurum exactum in sententia temporali ponitur apud Vergilium: Aen. X 503:
Turno tempus erit, magno cum optaverit emptum
intactum Pallanta et cum spolia ista diemque
oderit![1])

Similia sunt exempla, ubi pronomen relativum pro cum ponitur: Silius VI 549:
Eritque dies, tua quo, dux inclite, fata
audire horrebunt a te calcata minores.
Cfr etiam XVI 91.

III. Perfectum in utraque sententia.

1. Perfectum logicum, actionem iteratam significans, duobus locis exstat et quidem in comparationibus. Exempla apud Valerium Flaccum inveniun-

---

[1]) Utrum hic futurum exactum an perfectum coniunctivi potentialis habeamus, dubitari potest. Equidem credo, fut. exactum esse his de causis. Cum in hac structura apud Vergilium uno tantum loco (cfr infra) cum coniunctivo, ter cum indicativo coniungitur. Tum Servius in commentariis hunc locum explicat: 'Erit tempus, quo Turnus optabit quovis pretio redimere, ne ipse Pallantem occidisse videretur'. Si ille optaverit pro coniunctivo habuisset, certe optet scripsisset. Crediderim igitur, poetam forma oderit adductum vel re metrica coactum optaverit pro optabit scripsisse.

tur. In sententia primaria post perfectum aliud verbum temporis praesentis sequitur: III 465:

Iuppiter urgentem ceu summa Ceraunia nubem
cum pepulit movitque iugis, fulsere repente
et nemora et scopuli nitidusque reducitur aether.
IV 507.

Draeger de hac structura nihil affert.

2. Perfectum de rebus singularibus ex omnibus temporibus commemoratur. Etiam nostri auctores hac structura haud raro utuntur. Ubique perfectum historicum est.[1])

Vergilius quinque locos habet: Aen. II 116:
Sanguine placastis ventos et virgine caesa,
cum primum Iliacas, Danai, venistis ad oras.
VI 564.

Adverbium in sententia prim. ponitur: Ecl. III 10:
Tum (sc. novimus), credo, cum me arbustum videre Miconis
atque mala vitis incidere falce novellas.
Ecl. III 12. Aen. XII 632 (dudum).

Apud Lucanum haec structura multo saepius invenitur. Habet locos 12: II 576:
Qui cum signa tuli toto fulgentia ponto,
omne fretum metuens pelagi pirata reliquit.
III 284. V 134. 240. 270. VI 410.

In sent. prim. adverbium ponitur: II 135:
Aut Collina tulit stratas quot porta catervas
tunc, cum paene caput mundi rerumque potestas
mutavit translata locum.
III 193 (primo).

---

[1]) Draeger II² pag. 550 ss.

Cum primum bis occurrit: II 7:
Sive parens rerum, cum primum informia regna
materiamque rudem flamma cedente recepit,
fixit in aeternum causas.
IX 946.

Locum, quo imperfectum coniunctivi potentialis in sent. prim. exstat, huc refero: VIII 256:
Crederet hoc Magnus, pacem cum praestitit undis,
et sibi consultum?

In oratione obliqua indicativus retinetur: II 412:
(*sc. fabula est*) *cumque diem pronum transverso limite ducens*
succendit Phaethon flagrantibus aethera loris,
hunc habuisse pares Phoebeis ignibus undas.

Valerius Flaccus 7 locos praebet: II 51:
An non experti, subitus cum luce fugata
horruit imbre dies?

Comparationem formae I invenimus: I 704:
Haut secus, aerisona volucer cum Daedalus ora
prosiluit iuxtaque comes brevioribus alis,
nube nova linquente domos, Minoia frustra
infremuit manus.

Cum primus ter occurrit: VII 172:
Nec tibi, cum primos adgressa es flectere sensus
virginis ignotaque animum contingere cura,
defuimus.
I 765. VII 89.

Adverbium in sententia primaria invenimus: IV 579:
Cum mihi Tartareas saevo clangore volucres
protulit ira Iovis, vox haec simul accidit aures.

Ita etiam verbo sententiae primariae omisso: I 621:
Qui tum Minyis trepidantibus horror,
cum picei fulsere poli!

Apud Silium quoque septem exempla huius generis exstant: XII 501:

Non ita me experti Fabius Fabiique magister,
turbarum experiens cum clausos milite collis
evasi victor.

XVII 311.

Etiam in comparatione formae II: IX 307:

Quanta Cyclopas nova fulmina voce poposcit
Iupiter, exstructis vidit cum montibus ire
magnanimos raptum caelestia regna gigantas.

Adverbium additur: VIII 619:

Tantis agminibus Rhoeteo litore quondam
fervere, cum magnae Troiam invasere Mycenae,
mille rates vidit Leandrius Hellespontus.

In oratione obliqua: III 314:

Fama docet, caesae rapuit cum Gorgonis ora
Perseus, in Libyam dirum fluxisse cruorem.

Post perfectum coniunctivi sententiae primariae: I 3:

Da, Musa, decus memorare laborum
antiquae Hesperiae, quantosque ad bella crearit
et quot Roma viros, sacri cum perfida pacti
gens Cadmea super regno certamina movit.

Huc refero etiam locum, ubi plusquamperfectum coniunctivi condicionalis in sententia primaria occurrit: XV 731:

Si, primas, inquit, bello cum amisimus Alpes,
hic iuveni oppositus Tyrio foret, hei mihi quanta
cessavit Latio dextra (= non oppositus est).

Obs. cum primus!

De Verg. Aen. VII 39. Luc. VII 315 vide infra pag. 54, 53.

Cum explicativum cum perfecto coniunctum his locis invenitur. Ubique de rebus singularibus agitur.

a. Praedicatum sententiae primariae explicatur: Vergilius: Georg. I 466:

Ille (sol) etiam extincto miseratus Caesare Romam,
cum caput obscura nitidum ferrugine texit.

Silius III 332:

Venit et, Aurorae lacrimis perfusus, in orbem
diversum, patrias fugit cum devius oras,
armiger Eoi non felix Memnonis Astyr.

In oratione obliqua apud Lucanum II 672:

Talis fama canit tumidum super aequora Persen
constravisse vias, multum cum pontibus ausus
Europamque Asiae Sestonque admovit Abydo.

Huc refero etiam alium locum Lucani: I 319:

Quis castra timenti
nescit mixta foro, gladii cum triste micantes
iudicium insolita trepidum cinxere corona.

Fortasse etiam V 622.

b. Sententia temporalis nominalem in sent. prim. notionem explicat:

Lucanus III 652:

Tunc unica diri
conspecta est leti facies, cum forte natantem
diversae rostris iuvenem fixere carinae.

Valerius Flaccus VI 530:

Inglorius Armes,
fraude nova stabula et furtis adsuetus inultis
depopulare greges, frontem cum cornibus auxit
hispidus inque dei latuit terrore Lycaei.

c. Sententia temporalis ad notionem tempus significantem pertinet:

Vergilii Aen. XI 275:

Haec adeo ex illo mihi iam speranda fuerunt
tempore, cum ferro caelestia corpora demens
appetii et Veneris violavi volnere dextram.

Silius II 4:

Quos turbine Martis
abstulit una dies, cum Fors non aequa labori
patricio Cremerae maculavit sanguine ripas.

Hic locus fortasse etiam sub a referri potest.

B. Tempora primaria diversi generis in sententia temporali et primaria occurrunt.

I. Præsens (perfectum logicum) et futurum.

1. Præsens (perf. log.) in sententia temporali, futurum in primaria. Ut Hoffmann et Dræger[1]) ea exempla, in quibus futurum simplex exstat, et ea, quae futurum exactum habent, promiscue afferam. Praesens in hac structura semper tempus futurum significat.

a. Actio iterativa est. Hoffmann affert Cic. de leg. III, 10, 24. Sed in Georgicis duo exempla exstant, quae ille omisit: Georg. IV 103:

At cum incerta volant caeloque examina ludunt
contemnuntque favos et frigida tecta relinquunt,
instabilis animos ludo prohibebis inani.

Item cum fut. exacto in sententia primaria: Georg. I 427:

Luna, revertentes cum primum colligit ignes,
si nigrum obscuro comprenderit aëra cornu,
maxumus agricolis pelagoque parabitur imber.

Inter ceteros auctores, quos tractamus, Lucanus solus hac structura utitur: VII 288:

Caelumque tremens cum lancea transit,
dicere non fallar,[2]) *quo sit vibrata lacerto.*

---

[1]) Hoffmann pag. 65 s. Dræger II² pag. 552 s.

[2]) fallor U_1m; sed confer in versu priore: agnoscam.

Duobus locis apud Lucanum perfectum logicum pro futuro exacto occurrit: VI 448:

Infandum tetigit cum sidera murmur,
tunc Babylon Persea licet secretaque Memphis
omne vetustorum solvat penetrale magorum,
abducet[1]) *superos alienis Thessalis aris.*

Fut. part. in sent. prim. IV 680:

Aequaturusque sagittas
Medorum, tremulum cum torsit missile, Mazax.

b. Actio singularis est. Ex Cicerone Hoffmann tria exempla collegit. Affert etiam Vergilii Aen. XII 206:

Ut sceptrum hoc — — —
numquam fronde levi fundet virgulta nec umbras,
cum semel in silvis imo de stirpe recisum
matre caret posuitque comas et bracchia ferro.

Hic in sententia temporali praesens et perfectum logicum habemus; cum semel observandum est; cfr pag. 47.

Alterum locum inveni: Georg. IV 401; est cum explicativum:

Ipsa ego te, medios cum sol accenderit aestus,
cum sitiunt herbae et pecori iam gratior umbra est,
in secreta senis ducam.

Præterea nullum tale exemplum inveni. Valerius Flaccus et Silius hac structura omnino non utuntur. De Val. Fl. VII 331 vide pag. 29.

Videmus, inter illos locos duodecim actionem iteratam continentes, ubi in sententia primaria futurum ponitur, septem locos (Verg. 5, Luc. 1, Val. Fl. 1) etiam in sententia temporali futurum habere, ut pag. 27 s. demonstravimus, quinque autem (Verg. 2, Luc. 3) praesens vel perfectum logicum. Ex his duo tamen incerti sunt. Cum de actione singulari agitur, contra praesens et futurum rarissime inveniuntur. Accedit, quod etiam in his duobus

[1]) abducit M_1g. obducit B_1.

exemplis, quamquam enuntiatio primaria plane actionem singularem continet, tamen in enuntiatione temporali generalem quandam significationem inesse.

2. Futurum in sententia temporali, praesens in primaria. Actio iterativa tribus locis occurrit, quos infra suo quemque loco afferam. Actionis singularis 16 exempla inveni.

a. Exstant tamen duo tantum exempla, ubi in sent. primaria praesens indicativi adhibetur. Etiam apud alios scriptores haec structura raro invenitur, tamen omnibus aetatibus; licet conferre Hoffmann pag. 67 et Draeger II[2] pag. 553. Nostra autem exempla sunt haec:

Lucanus VIII 176:

Hic cum mihi semper in altum
surget[1]) *et instabit summis minor Ursa ceruchis,*
Bosporon et Scythiae curvantem littora Pontum
spectamus.

Etiam supra vidimus, praesens et futurum, cum actio iterata est, haud raro praecipue apud Lucanum misceri.

Alter locus apud Valerium Flaccum invenitur: V 236:

Tunc tibi regnorum labes luctusque supersunt,
rapta soporato fuerint cum vellera luco.

Haec structura initio offendit. Sed eam non inusitatam esse ex eo videmus, quod inter eos locos octo, quos Draeger affert, in duobus praesens verborum restare, remanere post futurum exactum sententiae temporalis sequitur. Sunt vero Ter. Hec. 299: *quod quom ita esse invenero, quod restat nisi porro ut fiam miser?* Cic. orat. 55, 183: *quos cum cantu spoliaveris, nuda paene remanet oratio.* In eiusmodi verbis plane significatio quaedam inest, quae efficit, ut haec structura minus offendat.

Silius X 522 vide infra b ε.

---

[1]) surgit G m b; de instabit autem codices non variant.

b. Saepe autem futurum in sententia temporali ponitur, ubi in sententia primaria alia forma praesentis exstat, qua vis futuri temporis inesse potest.[1]) Ita in sent. primaria

α. Praesens coniugationis periphrasticae passivi occurrit apud Lucanum: II 41:

Cum vicerit alter,
gaudendum est.

IV 488:

Non tamen in caeca bellorum nube cadendum est,
aut cum permixtas acies sua tela tenebris
involvent.[2])

Confer Plaut. Mil. 359.

β. Praesens coniunctivi potentialis semel tantum invenitur: Silius IV 507:

Nec fine sub aevi
oppetere in bello detur, cum fata vocabunt.

Conferre licet apud Hoffmannum Cic. ad Att. IV, 17, 1; 9, 1; orat. 13, 41.

γ. Praesens coniunctivi hortativi:

Vergilius quinque locos habet.[3])

Actio iterativa est: Georg. III 322:

At vero Zephyris cum laeta vocantibus aestas
in saltus utrumque gregem atque in pascua mittet,
Luciferi primo cum sidere frigida rura
carpamus.

---

[1]) De imperativo in sent. prim. vide pag. 27, 29, 30 s.

[2]) 'Involvunt' alii. 'Convolvent' Schol. C. Sed cum ad proelium imminens spectare videatur, malo 'involvent'.

[3]) Hoffmann pag. 69 sex locos commemorat. Unum omisit: Georg. III 332. Cur Georg. IV 21 et Aen. I 685 huc referat, haud scio. Plane ad δ referendi sunt.

Actio singularis est: Ecl. X 4:
Sic tibi, cum fluctus subterlabere Sicanos,
Doris amara suam non intermisceat undam.
Aen. IV 618. XII 821.

Cum primum occurrit: Aen. XII 76:
Cum primum crastina caelo
Puniceis invecta rotis Aurora rubebit,
non Teucros agat in Rutulos.

Præterea Silius solus hanc structuram adhibet duobus locis: XVI 295:
Septima cum solis renovabitur orbita caelo,
quique armis ferroque valent — — —
adsint.

Tunc in sent. prim. additum est: VII 234:
Cum optabile tempus
deposcet dextras, tunc ista ferocia dicta
aequentur factis.

δ. Praesens coniunctivi sententiae primariae ab ut, ne, dum pendet:

Apud Vergilium duo exempla inveniuntur; actio iterativa est: Georg. IV 20:
Palmaque vestibulum aut ingens oleaster inumbret,
ut, cum prima novi ducent examina reges
vere novo ludetque favis emissa iuventus,
vicina invitet decedere ripa calori
obviaque hospitiis teneat frondentibus arbos.
Actio singularis est Aen. I 685.

Item Lucanus IV 510:
Iubeant sperare salutem,
ne nos, cum calido fodiemus viscera ferro,
desperasse putent.

III 677:

Viscera laeva
oppressere manu, validos dum praebeat ictus
sanguis et hostilem cum torserit exeat hastam.

Fortasse tamen torserit perfectum coniunctivi est.

Particula deest; coniunctivus a 'necesse est' pendet: VIII 325:

Cum Caesaris arma
concurrent[1] *Medis, aut me fortuna necesse est*
vindicet aut Crassos.

Unus locus apud Silium quoque exstat: VII 313:

Cornibus arentis edicam innectere ramos;
admotus cum fervorem disperserit ignis,
ut passim exultent stimulante dolore iuvenci.

ε. Praesens infinitivi, a verbo voluntatis pendens. Hanc structuram Silius solus praebet: X 524:

Haec ait et socium mandari corpora terrae,
postera cum thalamis Aurora rubebit[2] *apertis,*
imperat.

Altero loco infinitivus vel praesens coniunctivi (dari vel detur) auditur: X 522:

Cum fata vocabunt,
tale precor nobis, salva Carthagine, letum.

Haec structura Cicero semel, Sallustius quater adhibet.[3] Praeterea nihil allatum est.

Videmus igitur, Valerium Flaccum uno loco excepto nusquam in sententia temporali futuro uti, cum verbum temporis praesentis in sententia primaria exstat. Apud ceteros numeri locorum iidem fere sunt: Vergilius enim septem locos habet, Lucanus quinque (praes. ind. in sent. prim. semel), Silius sex.

---

[1]) concurrunt M_1B.

[2]) ruebat S; lectionem Baueri retinui.

[3]) Hoffmann pag. 69.

II. Praesens et perfectum.

a. Praesens historicum in sententia temporali, in sententia primaria perfectum historicum raro invenitur. Hoffmann pag. 70 dat Cic. p. Rosc. A. 41, 120; Ter. Eun. 792. Dræger II² pag. 555 addit Hor. sat. 2, 3, 60. Ambo autem omittunt locum illum Vergilianum: Aen. I 697:

Cum venit, aulaeis iam se regina superbis
aurea composuit sponda mediamque locavit.

Observandus est alter locus, ubi tamen actio iterata est: Aen. VII 601:

Mos erat Hesperio in Latio, quem protinus urbes
Albanae coluere sacrum, nunc maxima rerum
Roma colit, cum prima movent in proelia Martem.

Hic sententia temporalis plane etiam ad coluere pertinet; nisi ita esset, pluralis movent non positus esset. Rectius igitur scriptum esset: quem u. A. coluere, cum b. moverunt, nunc etiam Roma colit, cum b. movet. Forsitan quis dicat, Romam ut collectivum accipi posse; sed id durius mihi videtur.

Lucanus duo similia exempla habet, quae tamen ambo incerta sunt: IV 562:

Cum sorte cruenta
fratribus incurrunt[1]) *fratres natusque parenti,*
haud trepidante tamen toto cum pondere dextra
exegere manus.

In altero exemplo Lucani cum vim explicativam habere videtur; sequitur altera sententia temporalis, in qua perfectum ponitur: II 173:

Quid sanguine manes
placatos Catuli referam? cum[2]) *victima tristis*

---

[1]) Codices Vossiani præbent incurrant. Utra lectio melior sit, diiudicare non possum; Hosium sum secutus.

[2]) Cod. Vossianus I cui.

inferias Marius forsan nolentibus umbris
pendit, inexpleto non fanda piacula busto,
cum laceros artus aequataque volnera membris
vidimus.

Apud Valerium Flaccum unum exemplum invenitur, quod huc referri potest: II 451:

Alcides Telamonque comes dum litora blando
anfractu sinuosa legunt, vox accidit aures,
flebile succedens, cum fracta remurmurat unda.

b. Praesens logicum in sententia temporali, perfectum logicum in sententia primaria item raro occurrit. Exempla actionis singularis vide Hoffmann pag. 73 et Draeger II² p. 555. Apud nostros auctores de rebus iteratis tantum usurpatur. Locis Vergilii exceptis Hoffmann et Draeger unum tantum exemplum huius structurae afferunt: Cic. ad fam. XII, 30, 2.

Vergilius autem quattuor (quinque) locos habet: Georg. I 287:

Multa adeo gelida melius se nocte dedere,
aut cum sole novo terras inrorat Eous.

Eodem modo III 422. 458.

In comparatione: Aen. IX 435:

Purpureus veluti cum flos succisus aratro
languescit moriens, lassove papavera collo
demisere caput, pluvia cum forte gravantur.

Aen. XII 715 ad d. refero.

Apud posteriores scriptores quattuor exempla inveni, ex quibus duo apud Lucanum: II 21:

Sic funere primo
attonitae tacuere domus, cum corpora nondum
conclamata iacent — — — — — —
sed cum membra premit fugiente rigentia vita eqs.

Perfectum infinitivi in sent. prim. V 749:

Nam me iam Marte parato

securos cepisse pudet cum coniuge somnos
eque tuo, quatiunt[1]) *miserum cum classica mundum,*
surrexisse sinu.

Duo apud Silium (in comparationibus): VII 571:

Obnixi cum bella furentia torquent,
distraxere fretum.

In altero exemplo primum praesens, deinde perfectum in sententia primaria occurrit: IV 302:

Ac veluti summo venator densa Picano
cum lustra exagitat spissisque cubilibus atram
immittit passim dumosa per invia pestem
— — — — — — — —
fit sonitus, fugere ferae, fugere volucres eqs.

c. Perfectum historicum in sent. temporali, praesens historicum in sent. primaria. Hoffmann exempla affert ex Cic., Plaut., aliis. Vergilius nullum eiusmodi exemplum exhibet; apud ceteros autem quinque inveniuntur, ex quibus apud Lucanum duo: V 717:

Cum primum redeunte die violentior aer,
puppibus incubuit Phoebeo concitus ortu,
praetereunt frustra temptati littora Lissi
Nymphaeumque tenent.

Praesens et perfectum in sent. temp. II 166:

Cum iam tabe fluunt confusaque tempore multo
amisere notas, miserorum dextra parentum
colligit et pavido subducit cognita furto.

Apud Valerium Flaccum duo: VIII 306:

Cum subitas videre rates vibrataque flammis
aequora, non una Minyae formidine surgunt.

Perfectum et praesens in sent. temp. I 726:

---

[1]) Aliae lectiones sunt quaterent vel quatient. Sed quoniam de tempore praesenti agi videtur, quatiunt melius puto.

Bistonas ad meritos cum cornua saeva Thyoneus
torsit et infelix iam mille furoribus Haemus,
iam Rhodopes nemora alta gemunt, talem incita longis
porticibus coniunxque fugit natique Lycurgum.

Apud Silium unum: VI 368:

Fert lumina contra
pacatus frontem, qualis cum litora primum
attigit appulsa rector Sidonia classe.

d. Perfectum logicum in sententia temporali, praesens logicum in sententia primaria.

α. De actionibus iteratis vel generatim dictis: iterativum antecedens. Haec structura apud omnes scriptores ac praecipue apud Ciceronem et poetas invenitur.[1]) Primum ea exempla, in quibus comparatio non inest, enumerabo, tum ea, quae comparationem continent.

α[1]. Comparatio non inest.

Apud Vergilium decem[2]) loci inveniuntur: Georg. III 441:

Turpis ovis temptat scabies, ubi frigidus imber
altius ad vivum persedit et horrida cano
bruma gelu, vel cum tonsis inlotus adhaesit
sudor et hirsuti secuerunt corpora vepres.

Aen. VI 735. VII 86.

Verbum sententiae primariae auditur: Aen. XII 414:

Non illa feris incognita capris
gramina, cum tergo volucres haesere sagittae.

Georg. II 319.

[1]) Vide Hoffmann p. 76 ss. Draeger II² p. 556 s.

[2]) Hoffmann p. 78 s. octo tantum affert; omisit Georg. I 312. II 420.

Adverbium in sent. prim. additur: Georg. II 403. Aen. III 448.

Observandum etiam est exemplum, ubi cum semel nobis occurrit: Georg. II 420:,

Contra non ulla est oleis cultura; neque illae
procurvam expectant falcem rastrosque tenacis,
cum semel haeserunt arvis aurasque tulerunt.

Cfr pag. 38. De ut semel confer infra.

Et perfectum et praesens in sententia temporali occurrunt: Georg. I 312:

Ubi iam brevior dies et mollior aestas,
quae vigilanda viris? vel cum ruit imbriferum ver,
spicea iam campis cum messis inhorruit et cum
frumenta in viridi stipula lactentia turgent.

Ita etiam III 103.

Coniugatio periphrastica passivi in sent. prim.: Georg. I 312 (vide supra).

Lucanus 13 locos praebet: I 213:

Fonte cadit modico parvisque inpellitur undis
puniceus Rubicon, cum fervida canduit aestas.

Eodem modo III 68. IV 459. 599. V 414. VI 607. IX 899. X 251. 259.

Adverbium tunc additur X 214.

Tribus locis praesens et perfectum i sententia temporali iunguntur; uno loco est in sent. prim. auditur: II 625:

Huc fuga nautarum, cum totas Adria vires
movit et in nubes abiere Ceraunia cumque
spumoso Calaber perfunditur aequore Sason.

Tunc in sent. prim. ponitur X 317.

Postremum huc refero etiam IV 705:

Eripe consilium pugna: cum[1]*) dira voluptas*

---

[1]) dum G.; sed dum texere minus placet.

ense subit presso, galeae texere pudorem,
quis conferre duces meminit.

Significatio enim temporis perfecti in hoc verbo plane evanuit.

Apud Valerium Flaccum duo tantum exempla exstant: III 384:

Cum deinde tremendi
ad solium venere Iovis questuque nefandam
edocuere necem, patet ollis ianua leti
atque iterum remeare licet.

IV 730.

Silius tria exempla habet. Praesens coniunctivi potentialis in sent. prim. semel occurrit: III 308:

Certant pennae, campumque volatu
cum rapuere, pedum frustra vestigia quaeras.

Bis sententia temporalis ad infinitivum pertinet, qui, si liber esset, in praesens logicum converteretur: III 328:

Mirus amor populo, cum pigra incanuit aetas,
imbelles iam dudum annos praevertere fato.

Huic simile est XIII 473:

Regia cum lucem posuerunt membra, probatum est
Hyrcanis adhibere canes.

Haec igitur structura, quae in Aeneide raro invenitur (saepius in Georgicis ex argumenti natura), a Lucano, quippe qui descriptiones regionum amet, saepe usurpatur. A Valerio Flacco et Silio paucis tantum locis adhibetur.

α^2. In comparationibus.

Vergilius 18 exempla exhibet.[1])

---

[1]) Hoffman l. l. 15 locos enumerat; addidi Aen. II 304. IX 30. XII 715. Quod ad primum horum locorum attinet, H. incidit pro praesenti habuisse videtur; crediderim tamen, melius id pro perfecto accipi. — XII 715 fortasse duobus modis interpretari possumus: aut velut pavidi cessere magistri sententia primaria est, a qua sent.

Forma I uno tantum loco exstat: Aen. II 496:
Non sic, aggeribus ruptis cum spumeus amnis
exit[1]) *oppositasque evicit gurgite moles,*
fertur in arva furens cumulo camposque per omnis
cum stabulis armenta trahit.

Forma II: decem locis: Georg. I 511:
Saevit toto Mars impius orbe;
ut cum carceribus sese effudere quadrigae,
addunt in spatia et frustra retinacula tendens
fertur equis auriga neque audit currus habenas.
Georg. II 193. Aen. II 223. VII 528. X 454. XII 587.

Perfectum et praesens in sententia temporali: Georg. III 196. Aen. I 148. II 304. XI 751.

Forma III: septem locis: Aen. III 677:
Cernimus adstantis nequiquam lumine torvo
Aetnaeos fratres caelo capita alta ferentis;
concilium horrendum; quales cum vertice celso
aëriae quercus aut coniferae cyparissi
constiterunt, silva alta Iovis lucusque Dianae.
Georg. I 302.

Saepius etiam verbum temporis praesentis in sent. temp. exstat: Aen. XI 454:
Hic undique clamor
dissensu vario magnus se tollit ad auras:
haud secus atque alto in luco cum forte catervae
consedere avium piscosove amne Padusae
dant sonitum rauci per stagna loquacia cycni.
Georg. II 279. III 237. Aen. IX 30. XII 715.

Apud Lucanum non plus sex loci inveniuntur:

---

temp. cum — incurrunt pendet (forma II); si ita est, hic locus ad b referendus est; sin autem hic comparationem formae III habemus huc referri debet, quod ego credo. Sed H. hoc exemplum neutro loco affert. Plane et id et IX 30 eum fugerunt.

[1]) Obs. forma perfecti contracta.

Forma I bis invenitur: V 436:
Sic stat iners Scythicas astringens Bosporus undas,
cum glacie retinente fretum non inpulit Hister.
VI 220.[1])

Forma II quattuor locis: I 388:
It tantus ad aethera clamor,
quantus, piniferae boreas cum Thracius Ossae
rupibus incubuit, curvato robore pressae
fit sonus aut rursus redeuntis in aethera silvae.
I 498. IX 902.

Uno loco nisi cum invenitur: II 601:
Pulsus ut armentis primo certamine taurus
silvarum secreta petit — — — — —
nec redit in pastus, nisi cum cervice recepta
excussi placuere tori.
Conferre licet VIII 492 (pag. 17).

Valerius Flaccus quinque exempla habet:

Forma I semel: I 682:
Sic cum stabulis et messibus ingens
ira deum et Calabri populator Sirius arvi
incubuit, coit agrestum manus anxia priscum
in nemus et miseris dictat pia vota sacerdos.

Forma II tribus locis: III 89:
Sic contextis umbonibus urguent,
caeruleo veluti cum Iuppiter agmine nubem
constituit, certant Zephyri.
II 458.

Tum demum in sententia primaria uno loco additum est: III 633:
Saltibus ut mediis tum demum laeta reducit
cerva gregem, tum gestit aper reboatque superbis

---

[1]) cui coniecit Bentley.

comminus ursa lupis, cum sese Martia tigris
abstulit aut curvo tacitus leo condidit antro.

Forma III semel: VII 567:
Ac velut ex una siquando nube corusci
ira Iovis torsit geminos mortalibus ignes,
aut duo cum pariter ruperunt vincula venti
dantque fugam; sic eqs.

In hoc exemplo praesens et perfectum in sententia temporali iunguntur.

Silius exempla 18 praebet:
Forma I ter occurrit: V 309:
Haud secus, e specula praeceps delatus opaca,
subsidens campo summissos contrahit artus,
cum vicina trucis conspexit cornua tauri,
quamvis longa fames stimulet, leo.
XIV 121.

Perfectum et praesens in sententia temporali: III 535:
Medio sic navita ponto,
cum dulcis liquit terras, et inania nullos
inveniunt ventos securo carbasa malo,
immensas prospectat aquas.

Forma II haud minus 13 locis occurrit: XI 242:
Dixerat haec, necdum finem convicia norant.
Illatus velut armentis super ardua colla
cum sese imposuit victorque immane sub ira
infremuit leo et immersis gravis unguibus haesit,
mandit anhelantem pendens cervice iuvencum.
I 421. II 683. VII 500. 727. X 241. XV 154. 711. 784. XVI 4.

Adverbium tum additur VII 717.

Perfectum et praesens in sent. temp. duobus locis: VII 253:
Rabida arma quierunt,

ut cum turbatis placidum caput extulit undis
Neptunus totumque videt totique videtur
regnator ponto, saevi fera murmura venti
dimittunt nullasque movent in frontibus alas.
XVII 504.[1])

Forma III bis tantum invenitur: IV 243:
Perfurit Ausonius turbata per aequora ductor,
ceu Geticus Boreas, totum cum sustulit imo
Icarium fundo victor mare.
VIII 279[2]) perfectum et praesens praebet.

Etiam hic (confer pag. 22) videmus, Lucanum comparationibus sententiam temporalem continentibus minus saepe quam ceteros uti et structuram ellipticam (formam III) omnino non adhibere. Apud Valerium Flaccum haec structura ac praecipue forma III multo rarior est quam praesens in utraque sententia. Vergilius quoque in exemplis huius generis formam III minus saepe quam formam II adhibet. Silius formam II maxime amat. Forma I apud omnes, sed raro, invenitur.

β. De actionibus singularibus. Exempla ex multis scriptoribus exstant.[3]) Apud nostros auctores duo loci inveniuntur:

Vergilius Aen. IX 248:
Non tamen omnino Teucros delere paratis,
cum talis animos iuvenum et tam certa tulistis
pectora.

Item Lucanus VII 58:
Hoc placet, o superi, cum vobis vertere cuncta
propositum, nostris erroribus addere crimen.

---

[1]) Pro infudit edd. nonnullae infundit praebent (Bauer); de lectione codicum nihil affertur.

[2]) Hic codices variant: effudit Ch, effundit LOV, infundit F.

[3]) Hoffmann pag. 74 ss. Draeger II² p. 556.

C. **Tempus praeteritum in utraque sententia exstat.** Aut sententia primaria aut sententia temporali status designatur, quo actio alterius sententiae fit. In enuntiationibus huius generis coniunctivus in sententia temporali longe saepius usurpatur. Sed haud raro indicativus ponitur, cum actio directe ad tempus loquentis refertur.[1])

I. Temporalis sententia perfecto vel praesenti historico formata est.

1. Hic primum commemorandus est locus, ubi, quamquam in utraque sententia perfectum historicum nobis occurrit, tamen sententia temporalis statum significat, quo incidit, quod sententia primaria exprimitur. Hoffmann pag. 82 s. nonnulla exempla Ciceroniana et alia affert; Draeger duo exempla Plautina addit, quae apud Lübbertum invenit. Locus noster apud Lucanum invenitur: VII 315:

Pompeius in arto
agmina vestra loco vetita virtute moveri
cum tenuit, quantum satiavit sanguine ferrum.

2. Sententia temporalis perfectum vel praesens historicum habet, sententia primaria imperfectum, quod statum designat, qui iam erat, cum actio sententiae temporalis facta est. Exempla ex compluribus scriptoribus collecta apud Lübbertum pag. 57 s., Hoffmannum pag. 84 ss. inveniuntur. Apud nostros auctores 12 locos inveni.

---

[1]) De hac re disputat Hoffmann pag. 79 ss. Draeger II² p. 557 ss.

Vergilius tria exempla praebet:[1]) Aen. VIII 560:

O mihi praeteritos referat si Iuppiter annos,
qualis eram, cum primam aciem Praeneste sub ipsa
stravi scutorumque incendi victor acervos eqs.

Georg. II 338.

Secundum leges consecutionis temporum perfectum coniunctivi pro imperfecto exstat: Aen. VII 37:

Nunc age, qui reges, Erato, quae tempora rerum,
quis Latio antiquo fuerit status, advena classem
cum primum Ausoniis exercitus appulit oris,
expediam.

Lucanus duo: VII 13:

Qualis erat populi facies clamorque faventis,
olim cum iuvenis primique aetate triumphi
— — — — — — — — —
sedit adhuc Romanus eques.

In sententia primaria adverbium tunc additur: II 68:

'Non alios' inquit 'motus tunc fata parabant,
cum post Teutonicos victor Libycosque triumphos
exul limosa Marius caput abdidit ulva'.

Apud Valerium Flaccum tres loci inveniuntur: I 336:

O si mihi sanguis,
quantus erat, cum signiferum cratera minantem
non leviore Pholum manus haec compescuit auro.

VIII 460.

Verbum erant audio: III 699:

Non hi tum flatus, non ista superbia dictis,
litore cum patrio, iam vela petentibus austris,
cunctus ad Alciden versus favor.

Observandum est, adverbium tum hic in sententia primaria exstare.

---

[1]) Hoffmann eos locos, qui in Aeneide exstant, non commemorat. Dubitat, utrum Georg. II 338 huc an ad cum inversum referendus sit.

Silius quoque tria exempla habet: X 507:
Heu quis erat! quam non similis modo Punica telis
agmina turbanti! vel cum Taulantia regna
vertit, et Illyrico sunt addita vincla tyranno.

In comparatione contracta: XVII 646:
(*Scipio*) *Martia praebebat spectanda Quiritibus ora:*
qualis odoratis descendens Liber ab Indis
egit pampineos frenata tigride currus;
aut cum Phlegraeis, confecta mole Gigantum,
incessit campis tangens Tirynthius astra.

Tum in sententia primaria ponitur: VII 437:
Laomedonteus Phrygia cum sedit in Ida
pastor et . . . .
audivit sacrae lentus certamina formae;
tum matris currus niveos agitabat olores,
tempora sollicitus litis servasse, Cupido.

Praesens historicum in sententia temporali, quod perraro nisi apud comicos occurrit, apud Silium uno loco invenitur: VI 383:
Cum tandem patriae Tiberino allabimur amni,
servabam vultus ducis ac prodentia sensum
lumina et obtutu perstabam intentus eodem.

Plusquamperfectum in hac structura apud auctores, quos tractamus, non inveni.

3. Perfectum in sententia temporali, imperfectum vel plusquamperfectum in sententia primaria, ut statum designet, qui incipit esse, cum actio sententiae temporalis perfecta est. Exceptis duobus exemplis Vergilianis, quae infra afferam, Hoffmann tres tantum locos huius structurae commemorat, qui omnes imperfectum habent. Sed apud Silium locum inveni, ubi plusquamperfectum statum incipientem significans in sen-

tentia primaria nobis occurrit. Habemus omnino quattuor exempla huius generis:

Apud Vergilium duo: Ecl. III 14:

(*Quae*) *cum vidisti puero donata, dolebas.*

Aen. VI 515:

Cum fatalis equus saltu super ardua venit
Pergama et armatum peditem gravis attulit alvo,
illa chorum simulans euhantis orgia circum
ducebat Phrygias.

Duo apud Silium:

Imperfectum in sententia primaria: VI 432:

Quid, cum praeteritis invisa penatibus, inquit,
hospitia et sedes Poenorum intravit acerbas?
Affixi clipei currusque et spicula nota
aedibus in parvis, magni monumenta triumphi,
pulsabant oculos, coniuxque in limine primo
clamabat.

Plusquamperfectum in sententia primaria: VIII 289:

Nam cum perdomita est armis iuvenilibus olim
Illyris ora viri, nigro allatraverat ore
victorem invidia et ventis iactarat iniquis.

4. Praecipue observanda est structura elliptica, ubi sententia temporalis praesenti expressa naturam generalem eius temporis praeteriti explicat, quod verbo sententiae primariae exprimitur. Hac igitur tempus certum praeteriti temporis spectatur, in illa autem de tempore quolibet agitur: generatim dicta est (confer pag. 26). Exempla huius structurae quattuor apud Vergilium invenimus,[1]) apud Lucanum unum. Apud ceteros auctores adhuc perquisitos non exstare videtur. Ex exemplis Vergilianis unum in sententia primaria imperfectum

---

[1]) Hoffmann pag. 143 s. Draeger II² pag. 548.

habet, duo plusquamperfectum; in uno autem ambo tempora inveniuntur. Sunt vero haec:

Imperfectum in sententia primaria: Aen. XII 113:

Postera vix summos spargebat lumine montis
orta dies, cum primum alto se gurgite tollunt
solis equi lucemque elatis naribus efflant.

Plusquamperfectum: Aen. VIII 407:

Inde ubi prima quies medio iam noctis abactae
curriculo expulerat somnum, cum femina primum
. . . cinerem et sopitos suscitat ignis
noctem addens operi famulasque ad lumina longo
exercet penso eqs.

Est in sententia temporali auditur: Ecl. VIII 14:

Frigida vix caelo noctis decesserat umbra,
cum ros in tenera pecori gratissimus herba.

Imperfectum et plusquamperfectum: Aen. IV 522:

Nox erat et placidum carpebant fessa soporem
corpora per terras silvaeque et saeva quierant
aequora, cum medio volvuntur sidera lapsu,
cum tacet omnis ager eqs.

Apud Lucanum inveni: IV 526:

Nam sol Ledaea tenebat
sidera, vicino cum lux altissima Cancro est.

Confer Silius V 26.

II. Temporalis sententia imperfectum habet.

1. In primaria quoque sententia imperfectum invenitur. Exempla et apud comicos et scriptores aureae aetatis ac praecipue apud Ciceronem exstant.[1]) Vergilius tamen hanc structuram non habet. Apud posteri-

[1]) Lübbert p. 68 ss. Hoffmann pag. 88 ss. Draeger II^2 p. 559 ss.

ores unum tantum locum non dubium inveni: Valerius Flaccus: IV 748:

Tunc aderam, cum vos mediis contenta ferebant
vela fretis.

Sed apud Silium quoque locus invenitur, ubi sententia temporalis imperfecto formata ad appositionem pertinet, quae si in enuntiationem relativam convertitur, imperfecto exprimenda est: VIII 476:

Affuit et, sacris interpres fulminis alis,
Faesula et, antiquus Romanis moenibus horror,
Clusinum vulgus; cum, Porsena magne, iubebas
nequicquam pulsos Romae imperitare Superbos.

2. Sententia primaria perfectum vel praesens historicum habet. Structura non inusitata est.[1]) Vergilius[2]) locos quinque praebet, Lucanus unum. Duorum generum sunt.

a. Sententia temporalis et sententia primaria idem temporis spatium designant: Verg. Ecl. X 9:

Quae nemora aut qui vos saltus habuere, puellae
Naides, indigno cum Gallus amore peribat?

Tum in sententia primaria exstat: Aen. IV 597:

Tum decuit, cum sceptra dabas.

Lucanus I 273:

Dum voce tuae potuere iuvari,
Caesar, ait, partes, quamvis nolente senatu,
traximus imperium, tum, cum mihi rostra tenere
ius erat et dubios in te transferre Quirites.

b. Spatium temporis sententiae temporalis maius est quam primariae sententiae. Praesens historicum in sententia primaria occurrit: Vergilii Aen. III 300:

---

[1]) Lübbert pag. 67 s. 70 s. Hoffmann pag. 94 ss. Draeger II² pag. 562 ss.

[2]) Apud Hoffmannum et Draegerum quattuor loci tantum inveniuntur; omiserunt Aen. III 300.

Progredior portu classes et litora linquens,
sollemnis cum forte dapes et tristia dona
ante urbem in luco falsi Simoentis ad undam
libabat cineri Andromache manesque vocabat
Hectoreum ad tumulum.

Aen. VII 148:

Postera cum prima lustrabat lampade terras
orta dies, urbem et finis et litora gentis
diversi explorant.

In oratione obliqua: Aen. XII 735:

Fama est, praecipitem, cum prima in proelia iunctos
conscendebat equos patrio mucrone relicto,
dum trepidat, ferrum aurigae rapuisse metisci.

Plusquamperfectum in sententia primaria post imperfectum sententiae temporalis apud nostros auctores non invenitur.

III. Temporalis sententia plusquamperfectum habet.

1. De rebus iteratis agitur: iterativum antecedens. Hanc structuram Cicero et Caesar nonnumquam adhibent, apud alios raro invenitur, apud Vergilium et Horatium nusquam.[1]) Quod ad ceteros scriptores, quos tractamus, attinet, Silius solus ea utitur et quidem duobus locis, qui tamen pro uno exemplo haberi possunt: XV 455:

Ille foro auditus, cum dulcia solverat[2]) *ora,*
aequabat Pyliae Neleia mella senectae.
Ille, ubi suspensi patres, et curia vocem
posceret, ut cantu, ducebat corda senatus.

---

[1]) Hoffmann p. 111 ss. Draeger II² p. 566.

[2]) Nonnulli codices praebent solveret; sed cum perstrinxerat certum sit, Bauerum sequens etiam hic plusquamperfectum volo.

Idem, cum subitum campo perstrinxerat auris
murmur triste tubae, tanto fervore ruebat
in pugnam atque acies e. q. s.

2. De rebus singularibus plusquamperfectum in sententia temporali etiam rarius nobis occurrit (saepissime apud Ciceronem).[1] Apud Vergilium unum exemplum invenitur; in sententia temporali praesens historicum: Aen. V 42:

Postera cum primo stellas Oriente fugarat
clara dies, socios in coetum litore ab omni
advocat Aeneas tumulique ex aggere fatur.

Apud posteriores non inveni.

D. **Cum interea, cum tamen,** quo aliquid additur, quod aut eodem tempore atque actio sententiae antecedentis incidere designatur aut significationem restringentem vel adversativam habet, inter nostros auctores apud Vergilium tantum invenitur, et quidem cum interea semel, cum tamen secundum codices bis.[2] Ubique praesens historicum nobis occurrit.

Cum interea: Aen. X 661:

Illum autem Aeneas absentem in proelia poscit,
obvia multa virum demittit corpora morti:
cum Turnum medio interea fert aequore turbo.

Cum tamen: Aen. IX 512:

Saxa quoque infesto volvebant pondere, si qua
possent tectam aciem perrumpere: cum[3]*) tamen omnis*
ferre iuvat subter densa testudine casus.

---

[1]) Hoffmann p. 104 ss. — Draeger II² p. 564 ss.

[2]) Hoffmann p. 144 ss. Draeger II² p. 567 s.

[3]) Omnes codices cum habent; Ribbeck coniecit num; Ladewig-Schaper quos dat.

Aen. X 508:
Haec te prima dies bello dedit, haec eadem aufert,
cum tamen ingentis Rutulorum linquis acervos.

E. Cum inversum.

Haec structura, quae apud Plautum semel tantum, apud Terentium bis invenitur, tempore sequenti ac praecipue apud historicos saepius usurpatur.[1]) Etiam epici scriptores eam persaepe adhibent excepto Lucano, qui 12 tantum locos habet. In exemplis enumerandis partitione Hoffmanni utar.

I. Imperfectum in sententia primaria; praesens vel perfectum historicum in sententia temporali. Haec forma maxime usitata est.

1. Praesens in sententia temporali.

Vergilius 14 exempla habet: Aen. III 344:
Talia fundebat lacrimans longosque ciebat
incassum fletus, cum sese a moenibus heros
Priamides multis Helenus comitantibus adfert
adgnoscitque suos laetusque ad limina ducit.

Ecl. V 20.

Adverbium (subito, tandem) vel adiectivum subitus in sententia temporali additur: Aen. I 507:
Iura dabat legesque viris operumque laborem
partibus aequabat iustis aut sorte trahebat,
cum subito Aeneas concursu accedere magno
Anthea Sergestumque videt.

Aen. II 679 (subitus). XI 781 (tandem). XII 247 (subito).

---

[1]) Hoffmann p. 1 ss., 155 ss. Lübbert p. 56 ss. Draeger II [2]p. 569 ss.

Etiam saepius adverbium iam, vix in sententia primaria ponitur: Aen. III 521:

Iamque rubescebat stellis Aurora fugatis,
cum procul obscuros collis humilemque videmus
Italiam.

II 567. V 159. 327. IX 351. 371.

Aen. I 34:

Vix e conspectu Siculae telluris in altum
vela dabant laeti et spumas salis aere ruebant,
cum Iuno aeternum servans sub pectore volnus
haec secum (sc. inquit vel ait).

Erat auditur: Aen. IX 395:

Nec longum in medio tempus, cum clamor ad auris
pervenit ac videt Euryalum.

Apud Lucanum nullum exemplum huius generis exstat.

Apud Valerium Flaccum tres loci inveniuntur: VI 427:

Talia certatim Minyae sparsique Cytaei
funera miscebant campis Scythiamque premebant,
cum Iuno — — — — —
extremam molitur opem.

Protinus in sent. temp. additur IV 222.

Uno loco iam sententiam primariam inducit: VI 375:

Iamque ibat in Harpen:

— — — — — — — — — — — — — — —

cum regina gravem nodis auroque securem
congeminans partem capitis galeaeque ferinae
dissipat.

Silius non minus 18 locos habet: IV 259:

Laudabat leti iuvenem egregiosque parabat
ulcisci consul manis, cum dira per auris
vox venit et Crixum ferri clamoribus audit.

VI 73.[1]) 631. VII 446. X 216. 261. XVII 456.

Subito vel subitus in sententia temporali exstat: XV 19:

Aedibus extremis volvebat pectore curas,
cum subito assistunt.

III 183. IV 101. VI 335. VII 680.

Decem locis adverbium in sententia primaria ponitur (iam 9 l., vixdum semel): XII 691:

Iamque propinquabat muro, cum Iupiter aegram
Iunonem alloquitur curis mulcetque monendo.

VI 452 (vixdum). XI 327. Etiam III 183. IV 101. VI 335. VII 680, quos locos supra attuli.

Inquit vel ait auditur: XVII 605:

Iamque propinquabant hostes tumuloque subibant,
cum secum Poenus.

VI 239. XIII 54.

2. Perfectum historicum in sententia temporali:

Vergilius 7 exempla: Aen. II 588:

Talia iactabam et furiata mente ferebar,
cum mihi se, non ante oculis tam clara, videndam
obtulit et pura per noctem in luce refulsit
alma parens.

VI 124. VIII 26.

Iam quattuor locis occurrit, ex quibus duo etiam subito in sententia temporali praebent: Aen. I 223:

Et iam finis erat, cum Iuppiter aethere summo
constitit et Libyae defixit lumina regnis.

Aen. II 730 (subito). III 137 (sub.) V 864.

Lucanus unum locum praebet: V 237:

Interea domitis Caesar remeabat[2]) *Hiberis*

---

[1]) Duo codices tum.

[2]) Cod. Bruxellensis: remeavit.

victrices aquilas alium laturus in orbem,
cum prope fatorum tantos per prospera cursus
avertere dei.

Apud Valerium Flaccum quoque unum tantum exemplum invenitur: V 402:

Iamque inerat populo mediaeque incognitus urbi,
cum comes orsa loqui.

Apud Silium quattuor: VI 301:

Nam, defecta viris et opes attrita, supinas
Africa tendebat palmas, cum sidere diro
misit Agenoreis ductorem animosa Therapne.

I 283. XV 200.

Semel vix in sententia primaria exstat: IV 594:

Enabat tandem medio vix gurgite pulcher
Irpinus sociumque manus clamore vocabat,
cum rapidis illatus aquis et vulnere multo
impulit asper equus fessumque sub aequora mersit.

3. Praesens et perfectum historicum in sent. temp.:

Vergilius duo exempla exhibet: Aen. XII 377:

Ille tumen clipeo obiecto conversus in hostem
ibat et auxilium ducto mucrone petebat,
cum rota praecipitem et procursa concitus axis
impulit effunditque solo.

Iam sententiam primariam inducit VII 25.

Valerius Flaccus: VI 644:

Iamque aliis instabat atrox, cum diva supremas
rumpit iniqua colus victorque advenit Iason.

II. In sententia primaria imperfectum et plusquamperfectum, in sententia temporali praesens vel perfectum historicum vel ambo tempora sunt. Haec structura apud Lucanum non invenitur.

1. Praesens in sententia temporali:

Apud Vergilium quattuor loci inveniuntur: Aen. IV 6:

Postera Phoebea lustrabat lampade terras
umentemque Aurora polo dimoverat umbram,
cum sic unanimam alloquitur male sana sororem.

Ceteris locis adverbium iam, vix sent. primariam instituit: Aen. III 8:

Vix prima inceperat aestas
et pater Anchises dare fatis vela iubebat,
litora cum patriae lacrimans portusque relinquo.

Aen. III 588 (iam). XI 903 (vix). Subito additur Aen. III 588.

Valerius Flaccus unum exemplum habet: III 417:
Iamque sopor mediis tellurem presserat horis
et circum tacito volitabant somnia mundo,
cum vigil arcani speculatus tempora sacri
Ampycides petit adversis Aesepia silvis
flumina et aequoreas pariter decurrit ad undas.

Apud Silium quoque unus tantum locus invenitur: IV 723:

Omnia somni
condiderant aegrisque dabant oblivia curis,
cum Iuno ....
... stimulat subitis praecordia curis eqs.

2. Perfectum in sententia temporali:

Vergilius tria exempla praebet: Aen. IX 107:
Ergo aderat promissa dies et tempora Parcae
debita complerant, cum Turni iniuria Matrem
admonuit ratibus sacris depellere taedas.

Iam in sententia primaria: Georg. IV 485:
Iamque pedem referens casus evaserat omnis

redditaque Eurydice superas veniebat ad auras,
cum subita incautum dementia cepit amantem.
Aen. V 835.

Valerius Flaccus unum: VII 558:
Fixerat ille gradus totoque ex agmine solus
stabat. . . . .
cum subito attoniti longissima Phasidis unda
Caucaseaeque trabes omnisque Aeetia tellus
fulsit et ardentes stabula effudere tenebras.

Silius quinque: XVI 262:
Et simul extructis caespes surrexerat aris;
victimaque admotae stabat subiecta bipenni,
cum subito abruptis fugiens altaria taurus
exiluit vinclis eqs.
Subito vel subitus occurrit etiam V 609. X 98.

Adverbium in sententia primaria: III 128:
Iamque adeo egressi steterant in limine primo,
et promota ratis, pendentibus arbore nautis,
aptabat sensim pulsanti carbasa vento,
cum . . .
. . . sic Hannibal orsus.
V 609 (iam). XII 651 (haud dum).

3. Perfectum et praesens in sententia temporali semel tantum inveni: Silius VII 411:

(*Classis Phoenissa*) *portusque intrarat apertos,*
ac totus multo spumabat remige pontus,
cum trepidae fremitu vitreis e sedibus antri
aequoreae pelago simul emersere sorores
ac possessa vident infestis litora proris.

III. Plusquamperfectum in sententia primaria, praesens vel perfectum historicum vel ambo tempora in sententia temporali.

1. Praesens in sententia temporali:

Vergilius sex locis hac structura utitur: Aen. VI 45:

Ventum erat ad limen, cum virgo 'poscere fata
tempus' ait.

VIII 97.

Ut ante imperfectum sententiae primariae iam, sic ante plusquamperfectum saepius vix apud Vergilium usurpatur: Aen. I 586:

Vix ea fatus erat, cum circumfusa repente
scindit se nubes et in aethera purgat apertum.

Vix ea fatus eram (*erat*) nobis occurrit etiam Aen. II 323. III 655; *vix haec ediderat* V 693.

Lucanus nullum exemplum huius generis habet.

Apud Valerium Flaccum tres loci inveniuntur: V 455:

Quin idem Minyas operum defixerat error,
cum se Sole satus patriis penetralibus infert.

VII 141.

Vix sententiam primariam inducit: I 240:

Vix ea fatus erat, iungit cum talia ductor
Aesonius.

Silius locos quinque praebet: IX 96:

Nec longum celerarat iter, cum tendere in armis
aggere Sidonio venientem conspicit hostem.

VIII 192. XI 230.

Adverbium adhibetur: XV 366:

Vixdum finitis intrarant vocibus artas
letiferi collis fauces, cum turba volucris
invadunt Nomades iaculis.

VII 586 (iam).

2. Perfectum in sententia temporali:

Apud Vergilium septem loci inveniuntur: Aen. V 84:

Dixerat haec, adytis cum lubricus anguis ab imis
septem ingens gyros, septena volumina traxit.

Aen. VI 372 (fatus erat). VIII 276 (dixerat).

Vix et iam binis locis occurrunt: Aen. VI 190:

Vix ea fatus erat, geminae cum forte columbae eqs.

Verbum fatus erat auditur: Aen. XII 154:

Vix ea, cum lacrimas oculis Iuturna profudit.

Iam: Aen. VII 104. XII 940 (iam iamque).

Lucanus exempla quattuor habet: VI 290:

Transierat primi Caesar munimina valli,
cum super e totis emisit collibus arma
effuditque acies obsaeptum Magnus in hostem.

Tandem in sententia temporali additur: III 355:

Sic Graia iuventus
finierat, cum turbato iam prodita voltu
ira ducis tandem testata est voce dolorem.

Hoc uno loco apud Lucanum adverbium temporis post cum inversum ponitur.

Vix apud Lucanum non invenitur, iam autem bis: II 691:

Iam coeperat ultima Virgo
Phoebum laturas ortu praecedere Chelas,
cum tacitas solvere rates.

X 53.

Valerius Flaccus unum tantum locum habet, ubi Verg. Aen. XII 154 imitatur: V 253:

Vix ea, Caucaseis cum lapsus montibus anguis,
haud sine mente dei, spiris nemus omne refusis
implicuit Graiumque procul respexit ad orbem.

Silius duo: VIII 164:

Tacito nox atra sopore
cuncta per et terras et lati stagna profundi

condiderat, tristi cum Dido aegerrima vultu
has visa in somnis germanae effundere vocem.

Adverbium modo in sententia primaria exstat: XIII 744:

Decimum modo coeperat annum
excessisse puer, nostro cum bella Latinis
concepit iussu.

3. Perfectum et praesens in sententia temporali post plusquamperfectum apud Vergilium et Silium non invenitur. Lucanus et Valerius Flaccus bina exempla habent.

Lucanus VII 45:
Vicerat astra iubar, cum mixto murmure turba
castrorum fremuit fatisque trahentibus orbem
signa petit pugnae.

V 425 adverbio iam inducitur.

Valerius Flaccus IV 58:
Iamque iter ad Teucros atque hospita moenia Troiae
flexerat Iliaci repetens promissa tyranni,
cum maesto Latona simul Dianaque vultu
ante Iovem stetit et supplex sic fatur Apollo.

VI 277 iam deest; confer praeterea Verg. Aen. VIII 276.

IV. Imperfectum vel plusquamperfectum in utraque sententia est. Haec structura, quae omnino rara est,[1]) apud Lucanum et Valerium Flaccum non adhibetur, apud Vergilium et Silium paucis locis. Quattuor genera exstant:

---

[1]) Hoffmann p. 159 ss.

1. Imperfectum : imperfectum: Verg. Aen. V 268:
Iamque adeo donati omnes opibusque superbi
puniceis ibant evincti tempora taenis,
cum saevo e scopulo multa vix arte revolsus
inrisam sine honore ratem Sergestus agebat.
Silius IV 485.

2. Imperfectum : plusquamperfectum: Verg. Aen. II 254:
Et iam Argiva phalanx instructis navibus ibat
a Tenedo tacitae per amica silentia lunae
litora nota petens: flammas cum regia puppis
extulerat, fatisque deum defensus iniquis
inclusos utero Danaos et pinea furtim
laxat claustra Sinon.[1])

3. Imperfectum et plusquamperfectum : imperfectum: Verg. Georg. IV 425:
Iam rapidus torrens sitientis Sirius Indos
ardebat coelo et medium sol igneus orbem
hauserat, arebant herbae et cava flumina siccis
faucibus ad limum radii tepefacta coquebant:
cum Proteus consueta petens e fluctibus antra
ibat.

4. Plusquamperfectum : imperfectum: Silius VI 127:
Vix puerile mihi tempus confecerat aetas,
cum primo malas signabat Regulus aevo.[2])

XIII 1:
Segne iter emenso vix dum Tarpeia videri
culmina desierant, torvos cum versus ad urbem
ductor Agenoreus vultus remeare parabat.

---

[1]) De hoc loco vide Hoffmann p. 160.

[2]) Utrum hoc exemplum ad C II an huc referendum sit, dubito. Sed cum id, quod sententia primaria continetur, minoris momenti esse videatur et Regulus plane princeps persona narrationis sit, huc retuli.

V. Imperfectum vel plusquamperfectum simul cum praesenti vel perfecto historico in sententia primaria, in sententia temporali praesens, perfectum, imperfectum. Loco Vergiliano excepto Hoffmann duo tantum exempla huius structurae affert.[1]) Accedunt unum apud Valerium Flaccum, tria apud Silium.

1. Imperf. + praes. hist. : praes. hist.: Vergilii Aen. VII 160:

Iamque iter emensi turris ac tecta Latini
ardua cernebant iuvenes muroque subibant:
ante urbem pueri et primaevo flore iuventus
exercentur equis domitantque in pulvere currus
aut eqs.
cum praevectus equo longaevi regis ad auris
nuntius ingentis ignota in veste reportat
advenisse viros.

2. Perf. hist. + imperf. : perf. hist.: Silius XVII 553:

Frena inde citati
convertit furibundus equi campumque petebat,
cum subito occultae pestis collapsa tremore
cornipedis moles ruit atque efflavit anhelo
pectore Iunonis curis in nubila vitam.

3. Imperf. + plusquamperf. + perf. historicum : perf. hist.: Valerius Flaccus V 273:

Iamque aderat magnis regum cum molibus urbi,
primaque in adversos frustratus proelia muros
constiterat. Datus et sociis utrimque cremandis
ille dies alterque dies, cum Marte remisso
debitus Aeaeis dux Thessalus appulit oris.

---

[1]) Hoffmann p. 161.

4. Perf. hist. + imperf. : imperf.: Silius IV 485:
Iamque dies rapti cursu navoque labore,
et medio abruptus fluitabat in amne solutis
pons vinclis, qui Dardanium travexerat agmen,
Eridani rapidas aderat cum Poenus ad undas.

5. Plusquamperf. + praes. hist. : praes. hist.: Silius VII 303:
Ac iam constiterat sociosque in caespite fusos
incussa revocat castrorum ad munera planta,
cum Libyae ductor (ait v. 321).

VI. In utraque sententia praesens vel perfectum historicum. Haec structura, quae, si Hoffmanno[1]) credimus, apud scriptores antea perquisitos (excepta structura 4, quae undecim locis exstat), rarissima est, apud epicos scriptores primi post Chr. n. saeculi ac praecipue apud Valerium Flaccum saepe invenitur. Cum Vergilius duos tantum locos habeat, Lucanus quinque, Silius septem, Valerius Flaccus non minus sedecim praebent. Species septem exstant.

1. Praesens : praesens. Hoffmann affert Hirtius b. G. VIII, 29, 1. Liv. XXIII, 18, 3. Ovid. Met. IV 693. Apud Vergilium nullum exemplum invenitur.

Lucanus unum locum habet: VII 508:
Sparsa per extremos levis armatura maniplos
insequitur saevasque manus inmittit in hostem;
(521) *cum Caesar metuens, ne frons sibi prima labaret*
incursu, tenet obliquas post signa cohortes.[2])

[1]) p. 161 s.

[2]) De transmutatione versuum 489—509 vide praefationem Hosii pag. XX s.

Apud Valerium Flaccum sex loci inveniuntur: II 112:

Sonat aequore clamor:
— — — — — — —
cum dea se piceo per sudum turbida nimbo
praecipitat famamque vagam vestigat in umbra.

Post cum adverbium ponitur: VIII 55:

Ille haeret comes et miseratur euntem,
cum subito ingentem media inter nubila flammam
conspicit et saeva vibrantes luce tenebras.
I 635 (protinus). VIII 175 (subito).

Iam sententiam primariam incipit: III 551:

Iamque ex oculis aufertur uterque,
cum puerum instantem quadrupes fessaque minantem
tela manu procul ad nitidi spiracula fontis
ducit et intactas levis ipse superfugit undas.
IV 679.

Silius exempla tria praebet: IX 489:

Convertunt signa novamque
instaurant Itali, versa formidine, caedem:
cum ventis positus custos . . .
regnantem Aetolis Vulturnum in proelia campis
effrenat.

Inquit vel ait auditur X 253.[1]) Subito apponitur XIV 539.

2. Praesens: perfectum. Hoffmann: Liv. IV, 32, 1. XXIV, 18, 7. Just. XI, 13, 1. Ovid. Met. IV 389. IX 1. Praeterea unum locum Vergilianum: Aen. X 260:

Iamque in conspectu Teucros habet et sua castra,
stans celsa in puppi, clipeum cum deinde sinistra
extulit ardentem.

---

[1]) Codices: cum; vulgo: cui.

Hanc structuram Lucanus duobus locis imitatus est (iam deest): IV 739:

Super ardua ducit
saxa, super cautes abrupto limite signa,
cum procul e summis conspecti collibus hostes.

IX 217.

Valerius Flaccus autem octo locis eam adhibet: IV 639:

Stant ora metu nec fessa recedunt
lumina diversas circum servantibus undas,
cum procul auditi sonitus insanaque saxa.

VII 321.

Tribus locis adiectivum subitus in sententia temporali exstat: I 640:

Undique fervent
aequora, cum subitus trifida Neptunus in hasta
caeruleum fundo caput extulit.

IV 488. VI 573; ecce: VI 228.

Tribus item locis iam sententiam primariam inducit: II 34:

Iamque Hyperionius metas maris urguet Hiberi
currus et evectae prono laxantur habenae
aethere, cum palmas Tethys grandaeva sinusque
sustulit et rupto sonuit sacer aequore Titan.

II 72. VI 228.

Silius contra duo tantum exempla habet: XIII 112:

Dat signum atque alacer scalis transcendere muros
imperat ac saevis urbem terroribus implet:
cum subito dextrum offulsit conatibus omen.

In altero exemplo verbum precatur e versu 361 addendum est: XV 363:

Nec plura, sereno
sanguineos fudit cum Iupiter aethere rores
atque atris arma aspersit non prospera guttis.

3. Praesens: perfectum et praesens invenitur apud Ovidium: Met. IV 389, quem locum supra commemoravi. Habemus etiam exemplum huius formae apud Valerium Flaccum: VI 714:

Iamque videt primam tenero de vertice frondem;
cum subito immissis praeceps aquilonia nimbis
venit hiemps nigraque evulsam tendit harena.

Quod ad perfectum historicum in sententia primaria ante cum inversum attinet, apud nostros auctores multo rarius quam praesens invenitur. Habemus tamen uno loco Vergiliano excepto quinque exempla, quae huc referenda sunt.

4. Perfectum: praesens. Hoffmann quattuor locos affert, inter quos Ovid. Met. II 868. Apud Vergilium deest. Accedunt: Lucanus X 434:

Lucifer a Casia prospexit rupe diemque
misit in Aegyptum primo quoque sole calentem,
cum procul a muris acies non sparsa maniplis
nec vaga conspicitur.

Duo loci Siliani: XIII 809:

'Felix haec', inquit 'Veneris nurus eqs.'

Intercedunt versus viginti unus; tum v. 831:

cum, subito aspectu turbatus, Scipio poscit,
quae poenae causa, et qui sint in crimine manes.

Loco altero iam sententiae primariae praefigitur: XV 809:

Iamque diem solisque vias nox abstulit atra,
cum vires parco victu somnoque reducunt.

5. Perfectum: perfectum. Hoffm. 11 locos commemorat, inter quos Ovid. Met. X 479 et Verg. Aen. I 534:

Hic cursus fuit,
cum subito adsurgens fluctu nimbosus Orion

in vada caeca tulit penitusque procacibus austris
perque undas superante salo perque invia saxa
dispulit.

Apud ceteros nullum exemplum inveni, quod huic omnibus partibus simile sit, nam aut in sententia temporali aut in sententia primaria simul cum perfecto praesens ponitur. Habemus ergo duas species:

6. Perfectum : perfectum et praesens: Val. Flaccus IV 381:

Quin et ab excelso meditantem vertice saltus
audentemque mori valles citus egit in imas
Argus et arbitrio durus servavit erili:
cum subito Arcadio sonuit cava fistula ritu
imperiumque patris celerans Cyllenius ales
advenit et leni modulatur carmina avena.

7. Perfectum et praesens : perfectum: Lucanus IX 39:

Tunc ausum classi praecludere portus
inpulit ac saevas meritum Phycunta rapinas
sparsit et hinc placidis alto delabitur auris
in littus, Palinure, tuum . . . . .
cum procul ex alto tendentes vela carinae
ancipites tenuere animos.

Licet conferre Liv. IV, 32, 1.

Imperfectum vel plusquamperfectum in sententia temporali post praesens vel perfectum historicum sententiae primariae apud nostros scriptores non invenitur. Confer tamen Silius IV 485 (vide pag. 72).

VII. Infinitivus historicus in sententia primaria semel apud Livium, ter apud Tacitum invenitur.[1])

[1]) Hoffmann pag. 163.

Etiam apud Vergilium unum exemplum occurrit: Aen. V 654:

At matres primo ancipites oculisque malignis
ambiguae spectare rates miserum inter amorem
praesentis terrae fatisque vocantia regna,
cum dea se paribus per caelum sustulit alis
ingentemque fuga secuit sub nubibus arcum.

Huc refero etiam Valerius Flaccus IV 42:

Tum lacrimis, tum voce sequi, tum rumpere questus,
cum sopor et vano spes maesta resolvitur actu.

Infinitivus historicus in sententia temporali, quem praecipue Tacitus nonnullis locis adhibet, apud eos scriptores, quos tractare suscepi, non exstat.

Priusquam ad alia transimus, videamus, quibus rebus scriptores nostri in cum inverso adhibendo inter se differant. Primum elucet, Lucanum hanc structuram multo rarius quam ceteros usurpare; ita etiam Vergilium in Bucolicis et Georgicis, ubi tria tantum exempla inveniuntur; hic tamen argumenti natura huius rei causa est. Ex ceteris Valerius Flaccus cum inversum maxime amat, deinde Vergilius in Aeneide, tum Silius. Si relativam frequentiam locorum comparamus, hoc modo res se habet.

In singulis millibus versuum praebet

Valerius Flaccus	5,54	locos.
Aeneis	5,05	»
Silius	3,93	»
Vergilii omnia opera	3,88	»
Lucanus	1,49	»
Bucolica et Georgica	0,99	»

Quod ad tempora sententiae primariae attinet, Vergilius et Silius imperfectum et plusquamperfectum saepissime adhibent; Lucanus plusquamperfectum in dimidia parte locorum habet. Valerius Flaccus autem praesenti et perfecto saepius quam imperfecto et plusquamperfecto utitur atque pluribus locis quam ullus auctor adhuc perquisitus. Quoniam apud Lucanum et Silium quoque haec tempora saepius inveniuntur quam apud Vergilium et Ovidium in Metamorphosibus, apparet, sermonis consuetudinem paulum commutatam esse.

In sententia temporali apud Vergilium et Valerium Flaccum praesens paulo pluribus locis quam perfectum exstat, apud Silium autem numerus locorum, qui praesens habent, duplo maior est quam eorum, qui perfecto expressi sunt. Lucanus contra perfecto multo saepius quam praesenti utitur. Imperfectum et plusquamperfectum apud Vergilium et Silium tantum et quidem raro inveniuntur.

Adverbia apud omnes Lucano excepto saepe sententiae primariae praefigi, iam supra vidimus. Quo modo haec res se habeat, ex hac tabula cernitur.

	Verg.	Luc.	Val. Fl.	Sil.
Iam	21	3	12	15
Vix	9		2	2
Vix dum				3
Haud dum				1
Modo				1
Summa	30	3	14	22
Adverbium deest	20	9	17	26

Contra ea adverbium vel adiectivum subitus in sententia temporali Vergilius minus saepe (10 l.) quam ceteri, Lucano etiam hic excepto (1 l.), adhibet. Valerius Flaccus enim 11, Silius 13 exempla praebet.

Sententias temporales huius generis re vera absolutas esse et cum inversum idem ac tum valere, ex eo videmus, quod poetae pro cum nonnumquam particulis copulativis et, que, atque utuntur aut saepius sententiam posteriorem priori asyndetice, quod vocatur, adiungunt.[1]) Ita apud nostros auctores occurrunt

Et.

Verg. Georg. II 80. Aen. II 705. V 167. VII 212; post vix V 857.

Luc. III 141. VI 624. VII 605.

Val. Fl. III 456; post vix I 628.

Sil. post iam XI 191.

Que.

Verg. post vix Aen. II 692. VIII 520. XI 296; post iam XI 621.

Luc. X 193; post iam III 88.

Val. Fl. VI 737. VII 456. 522.

Atque.

Verg. Ecl. VII 1. Aen. IV 663. XII 574.

Val. Fl. V 210.

Asyndeton.

Verg. Aen. III 147. X 550. XI 182. 210; post vix Ecl. VIII 14. II 172. III 90. X 659. XI 550. XII 113. 650; post iam II 804. III 356. V 762. VI 477. VIII 281. IX 459. X 215. XI 139. 608.

Luc. I 261. VII 545. IX 685. 976; post vix VI 278; post iam II 505. IV 429. V 507. 599. VI 138. VIII 159. 778.

Val. Fl I 283. II 332; post dixerat I 182. 309. 681 et passim; post vix VII 193; post vixdum IV 671;

[1]) Hoffmann pag. 163 ss. Draeger II² pag. 26 s. 218, 572.

post iam I 350. 738. II 248. III 1. 32. 481. V 107. 177. VI 319. VII 449.

Sil. III 168. XV 612; post vix XVI 135; post iam XI 267. XII 1. XVI 229. 303.

Adverbium tum (tunc) posteriorem sententiam introducens apud Vergilium non inveni, apud ceteros his locis:

Luc. post iam III 40. VIII 610.

Val. Fl. VI 203. 690; post iam II 107. VII 474. 630.

Sil. post iam I 418. X 358. Fortasse etiam II 110. V 56 huc referri debent.

Coniunctivus.

A. Priusquam ad eos locos transeo, quibus cum historicum, quod vocatur, cum imperfecto et plusquamperfecto coniunctivi iunctum occurrit, ea exempla afferantur, ubi coniunctivus alia de causa exstat vel alio quo modo explicari potest. Quae causae quinque esse possunt:

I. Coniunctivus potentialis est;

II. Sententia temporalis in oratione obliqua est;

III. Sententia a particula cum instituta causalem vim habet;

IV. Significatio concessiva vel adversativa in sententia, cui cum praefigitur, inest;

V. Sententia temporalis explicat, quale sit id tempus, quod sententia primaria exprimitur.

I. Coniunctivus potentialis in sententia temporali apud scriptores, quos tractamus, duobus locis invenitur.

Altero loco praesens coniunctivi, ut in sententiis condicionalibus, de re ficta adhibetur; est apud Lucanum: II 289:

Sidera quis mundumque velit spectare cadentem
expers ipse metus? quis, cum ruat[1]) *arduus aether,*
terra labet mixto coeuntis pondere mundi,
conplosas tenuisse manus?

---

[1]) Cod. Voss. II: ruit; sed labet certum est.

De hac structura, quae raro invenitur, vide praeterea Draeger II² p. 573 s.

Alterum exemplum, ubi perfectum coniunctivi exstat, apud Silium invenimus. Est structura illa elliptica, de qua iam pag. 56 s. locutus sum: V 25:

Nec se thalamis Tithonia coniux
protulerat stabatque nitens in limine primo,
cum minus abnuerit noctem desisse viator,
quam coepisse diem.

II. Sententia temporalis in oratione obliqua est.

1. Praesens coniunctivi in sent. temp. Verg. Ecl. VI 37:

(*Namque canebat, uti* . . .)
iamque novum terrae stupeant lucescere solem,
altius atque cadant summotis nubibus imbres,
incipiant silvae cum primum surgere, cumque
rara per ignaros errent animalia montes.

Luc. VIII 523:

Tene mihi dubitas, an sit violare necesse,
cum liceat?

Ita etiam Luc. VIII 663. Silius XI 148. Indicativus autem retinetur Verg. Georg. III 302. Silius IX 50. Observandum etiam est, cum sententia temporalis futuro formata a sententia finali pendet, indicativum adhiberi: Verg. Georg. IV 20. Aen. I 685. Luc. III 678. IV 510. Sil. VII 313. Confer etiam Sil. X 524.

2. Perfectum coniunctivi in sent. temp. Luc. VII 757:

Parvo scelus hoc venisse putabunt:
cum sibi Tarpeias victor desponderit arces,

cum spe Romanae promiserit omnia praedae,
decipitur, quod castra rapit.[1])

3. Imperfectum coniunctivi in sententia temporali. Hic omnia exempla afferam, ubi oratio obliqua causa coniunctivi esse potest.

Verg. Aen. III 414:
Haec loca vi quondam et vasta convolsa ruina
dissiluisse ferunt, cum protinus utraque tellus
una foret.

Aen. VII 61. 734. X 565. Sed Aen. VIII 352 vide pag. 92.

Lucanus II 656:
Sed Caesar in omnia praeceps,
nil actum credens, cum quid superesset agendum,
instat atrox.

Valerius Flaccus VI 139:
(*Fama sc. est,*) *mox rumperet Hebri*
cum vada, Thyrsagetas gelida liquisse sub arcto.

Silius XII 365:
Fama est, cum laceris Actaeon flebile membris
supplicium lueret spectatae in fonte Dianae,
attonitum novitate mali fugisse parentem.

XI 78. XII 321. 672. De XVII 176 vide pag. 92.

Sed indicativus retinetur: Verg. Aen. VII 37. XII 735. Lucanus II 412. 672. Silius I 3. III 314.

4. Plusquamperfectum coniunctivi in sententia temporali (futurum exactum in oratione recta): Silius X 375:
Huic ductor laetas Tarpeio vertice mensas
spondenti, cum quinta diem nox orbe tulisset,

---

[1]) Vis causalis quoque inest.

celatis superum monitis clausoque pavore,
vulnera et exhaustas saevo certamine vires
ac nimium laetis excusat fidere rebus.
XVI 194 (perf. in or. recta).

III. Cum causale[1]) apud Lucanum nonnullis locis invenitur, apud Silium bis, apud Vergilium semel tantum. Valerius Flaccus omnino non utitur.

1. Praesens coniunctivi occurrit apud Lucanum quinque locis: II 628:
Ergo ubi nulla fides rebus post terga relictis
nec licet ad duros Martem convertere Hiberos,
cum mediae iaceant immensis tractibus Alpes,
tunc subole e tanta natum, cui firmior aetas,
adfatur.
III 396. V 782. VI 619. VII 615.

Apud Silium: X 278:
Nec vero spes angustae, cum talia restent
pectora Romuleo regno.

2. Perfectum coniunctivi: Lucanus X 70:
Quis tibi vaesani veniam non donet amoris,
Antoni, durum cum Caesaris hauserit ignis
pectus?
Perfectum simul cum praesenti occurrit: Lucanus V 685.

3. Imperfectum coniunctivi: Verg. Aen. III 49:
Hunc Polydorum auri quondam cum pondere magno
infelix Priamus furtim mandarat alendum
Threicio regi, cum iam diffideret armis
Dardaniae cingique urbem obsidione videret.

---

[1]) Draeger II² p. 679 s.

Lucanus VII 65:
(Tullius) iratus bellis, cum rostra forumque
optaret.

Silius VI 27:
Namque necis certus, captae prohibere nequiret
cum Poenos aquilae, ...
occulere interdum et terrae mandare parabat.

IV. Cum concessivum vel adversativum[1]) Lucanus saepe adhibet, ceteri autem paucis tantum locis.

1. Praesens coniunctivi post cum sequitur.

Vergilius unum exemplum habet: Georg. I 118:
Nec tamen, haec cum sint hominumque boumque labores
versando terram experti, nihil improbus anser
Strymoniaeque grues et amaris intiba fibris
officiunt aut umbra nocet.

Apud Lucanum locos 14 inveni: II 544:
O rabies miseranda ducis! cum fata Camillis
te, Caesar, magnisque velint miscere Metellis,
ad Cinnas Mariosque venis.

I 309 (nunc in sent. prim.). III 336. IV 559. V 771. VI 85. VII 446. 448. VIII 54. 694. IX 417. 591. 1108. X 188.

Valerius Flaccus nullum exemplum praebet.

A Silio quattuor locis usurpatur: XIII 450:
Quinam te, qui casus, ait, dux maxime, fessae
eripuit patriae, cum talis horrida poscant
bella viros?

XV 170. XVII 317. Praeterea XI 148, quem iam mom. II 1 commemoravi.

---

[1]) Draeger II² pag. 772 s.

2. Perfectum coni. a Lucano solo quattuor locis adhibetur: II 459:

Nubiferoque polus cum cesserit[1]) *euro,*
vindicat unda notum.

IV 234. VI 375. VIII 835.

3. Imperfectum: Vergilius tria exempla habet: Ecl. V 88:

At tu sume pedum, quod, me cum saepe rogaret,
non tulit Antigenes.

Aen. III 712. V 810.

Lucanus septem: I 10:

Cumque superba foret Babylon spolianda tropaeis
Ausoniis umbraque erraret Crassus inulta,
bella geri placuit nullos habitura triumphos.

III 300. IV 521. V 65. VI 478. VII 474. VIII 134.

Valerius Flaccus unum: VII 280:

Cumque ipsa moverer
adloquio casuque viri, te passa rogari
sum potius.

Silius unum (duo): XVI 204:

Ast ego, cum contra, nostris quae copia regnis,
nunc auri ferrem, nivei nunc munera dentis,
nil valui precibus.

De XV 313 vide infra.

4. Plusquamperfectum: Silius XV 84:

Nonne vides, hominum ut celsos ad sidera vultus
sustulerit deus ac sublimia finxerit ora,
cum pecudes volucrumque genus formasque ferarum
segnem atque obscoenam passim stravisset in alvum?

Imperfectum simul cum plusquamperfecto occurrit apud Silium XV 313.

---

[1]) Cod.: concesserit; correx. m u g.

V. Sententia temporalis ad nominalem temporis notionem in sententia primaria pertinet, ut explicet, qualis sit (cum consecutivum). Unum tantum locum inveni et quidem apud Vergilium: Ecl. VIII 7:

En erit unquam
ille dies, mihi cum liceat tua dicere facta?
En erit, ut liceat eqs.

Licet conferre Cic. pro Mil. 26, 69: *Illucescet aliquando dies, cum tu amicissimi benevolentiam desideres.* Confer etiam Luc. VIII 869: *Veniet felicior aetas, qua sit nulla fides saxum monstrantibus illud.* Val. Fl. I 344. Sil. III 584. XVI 93.

De indicativo in exemplis similis generis confer pag. 31 s.

B. Cum historicum.[1])

I. De rebus iteratis vel generatim dictis cum nonnullis locis apud Vergilium et Silium et semel apud Lucanum cum imperfecto coniunctivo iungitur. Haec structura in aurea aetate minus saepe nobis occurrit, a scriptoribus argenteae aetatis saepius usurpatur.[2])

1. Perfectum vel praesens historicum in sententia primaria. Apud Vergilium loci tres inveniuntur: Georg. I 390:

Ne nocturna quidem carpentes pensa puellae
nescivere hiemem, testa cum ardente viderent
scintillare oleum et putris concrescere fungos.

Fortasse etiam Aen. IV 460.

---

[1]) De ratione coniunctivi vide Hoffmann pag. 60 ss. 114 ss. 197 ss. Draeger II² pag. 572, Kühner II 890; etiam supra pag. 2 ss.

[2]) Draeger II² pag. 574 s.

Adverbium saepe in sententia primaria additum est: Georg. I 316:

Saepe ego, cum flavis messorem induceret arvis
agricola et fragili iam stringeret hordea culmo,
omnia ventorum concurrere proelia vidi.

Praeterea Aen. VIII 352, de quo infra pag. 92 loquar.

Lucanus unum locum praebet, qui tamen etiam pro actione singulari haberi potest: III 663:

At illis,
robora cum vetitis prensarent altius ulnis
nutaretque ratis populo peritura recepto,
inpia turba super medios ferit ense lacertos.

Silius quoque unum locum: I 252:

Spectarunt Poeni, tremuitque exterritus Astur,
torquentem cum tela Iovem permixtaque nimbis
fulmina et excussos ventorum flatibus ignes
turbato transiret equo (*Hannibal*).

2. Imperfectum in sententia primaria:

Vergilius duobus locis: Aen. VII 246:

Hoc Priami gestamen erat, cum iura vocatis
more daret populis.

Georg. IV 135.

Silius sex locis: I 161:

Cum rapidum effusis ageret sublimis habenis
quadrupedem, non ense virum, non eminus hasta
sistere erat.

V 462. XIV 31. 389. XV 707. XVI 55.

Plusquamperfectum coniunctivi condicionalis in sententia primaria nobis occurrit: Verg. Aen. VI 879:

Non illi se quisquam impune tulisset
obvius armato, seu cum pedes iret in hostem,
seu spumantis equi foderet calcaribus armos.

Videmus igitur, de rebus iteratis praeteriti temporis auctores nostros 13 (14) locis imperfecto coniunctivi uti. Indicativus contra exceptis quattuor exemplis, quibus comparatio continetur, novem tantum locis occurrit, quorum septem (pag. 18) praesens historicum praebent, duo (pag. 59 s.) plusquamperfectum (iterativum antecedens).

II. De rebus singularibus. Utrum haec structura a Plauto et Terentio adhibita sit necne, ambigitur[1]; utcumque est, non nisi perpaucis locis apud eos et ceteros scriptores aetatis antiquioris invenitur. Tempore sequenti apud scriptores prosae orationis, cum de tempore praeterito agitur, coniunctivus post cum temporale multo saepius nobis occurrit quam indicativus.[2]) Quo modo haec res apud poetas se habeat, iam videamus.

1. Imperfectum coniunctivi in sententia temporali.

a. Perfectum historicum in sententia primaria plurimis locis invenitur.

Haec forma a Vergilio 14 (16) locis usurpatur: Aen. II 112:

Praecipue, cum iam hic trabibus contextus acernis
staret equus, toto sonuerunt aethere nimbi.

Ecl. VI 3. Georg. I 147. Aen. IV 453. 460. V 596. VII 427. 493 (c. forte). IX 88. XI 42. 540.

Tribus locis adverbium (tunc, nuper) in sententia primaria additur: Aen. V 804:

Cum Troia Achilles
exanimata sequens impingeret agmina muris,

---

[1]) Vide Lübbert pag. 87 ss. Hoffmann pag. 176 ss.

[2]) Numeri locorum apud Hoffmann pag. 1 ss., Draeger II² pag. 515 s.; etiam supra pag. 14.

milia multa d a r e t *leto* g e m e r e n t *que repleti amnes, nec reperire viam atque evolvere* p o s s e t *in mare se Xanthus, Pelidae* t u n c *ego forti congressum Aenean nec dis nec viribus aequis nube cava* r a p u i.

Ecl. II 25:

Nuper me in litore vidi,
cum placidum ventis s t a r e t *mare.*

Nuper occurrit etiam Ecl. IX 21. De Aen. III 623. 626. vide infra pag. 92.

Apud Lucanum exempla 16 inveniuntur: I 540:
Ipse caput medio Titan cum f e r r e t *Olympo,*
c o n d i d i t *ardentes atra caligine currus.*
I 538. II 143. 675.[1]) 715. III 459. V 79. 81. 689. 802. VII 152. 779. VIII 14. 222. IX 303. 644.

Valerius Flaccus non amplius quattuor (quinque) locos praebet: I 81:
'Omnipotens regina', inquit, 'quam, turbidus atro
aethere caeruleum q u a t e r e t *cum Iuppiter imbrem,*
ipse ego praecipiti tumidum per Enipea nimbo
in campos et tuta t u l i'.
IV 164.

Huc refero etiam I 291, ubi verbum sententiae primariae deest:
Quis tibi, Phrixe, dolor, rapido c u m *concitus aestu*
r e s p i c e r e s *miserae clamantia virginis ora.*

Perfectum coniunctivi optativi in sententia primaria exstat: III 617:
O utinam, Scythicis s t r u e r e m c u m *funera terris,*
vox mihi mentitas t u l e r i t *Parnasia sortes.*
De III 538 infra dicam pag. 92.

---

[1]) Cod. Bern. d e f e r t; sed legendum est Åthos; conf. Val. Fl. I 664 et alibi, Sil. III 494.

Silius autem hanc structuram praecipue amat; habet locos 28 (33): I 667:

Cum felix nimium dimitteret Ardea pubem,
sacra domumque ferens et avi penetralia Turni,
ultra Pyrenen Laurentia nomina duxi.

III 422. IV 733. V 107. VI 82. VII 557. VIII 502. IX 30. 265. XI 469. XII 89. 289. 398. 679. XIII 454. 626 (c. prima). 637 (c. forte). 679. 812. XV 80. 248. 357 (c. nondum). XVI 546. 632. XVII 266.

Duobus locis vis explicativa eminet: XII 33:

Sirenum dedit una suum, memorabile, nomen
Parthenope muris Acheloias, aequore cuius
regnavere diu cantus, cum dulce per undas
exitium miseris caneret non prospera nautis.

XIV 325.

Semel tantum tum antecedit: XI 478:

Tum quoque, cum rapidi caput a cervice recisum
portarent fluctus, subito emicuere per undas
ad murmur cete toto exultantia ponto.

Et in hoc exemplo et in aliis, quae supra laudavi, significatio concessiva vel causalis erui possit; sed quoniam vis temporalis praeponderat, ea huc retuli.

Postremum Silius quinque exempla praebet eius structurae, ad quam nunc transeamus.

Habemus enim nonnullos locos, ubi post verbum videre pro accusativo et participio praesentis sententia temporalis coniunctivo expressa sequitur. Si Draegero[1]) credimus, haec structura apud Ciceronem non nisi de rebus iteratis usurpatur; ex aliis scriptoribus nullum exemplum affert. Sed apud poetas, quos tractamus, unus tantum locus occurrit, quo de re iterata agitur; ceteris actio singularis est. Ut omnia exempla huius generis uno

---

[1]) II² pag. 573 s.

loco colligam, hoc loco etiam illud exemplum iteratae actionis affero; est apud Vergilium: Aen. VIII 352:

Arcades ipsum
credunt se vidisse Iovem, cum saepe nigrantem
aegida concuteret dextra nimbosque cieret.

Hoc exemplum et Georg. I 316, quod pag. 88 attuli, inter se differre apparet.

Actio singularis est:

Apud Vergilium duo loci inveniuntur: Aen. III 623:
Vidi egomet, duo de numero cum corpora nostro
prensa manu magna medio resupinus in antro
frangeret ad saxum sanieque adspersa natarent
limina.
Aen. III 626.

Valerius Flaccus unum locum praebet: III 538:
Vidisti roseis haec per loca Bacchus habenis
cum domitas acies et Eoi fercula regni
duceret ac rursus thiasos et sacra moventem.

Silius quinque: II 340:
Vidi ego, cum, geminas artis post terga catenis
evinctus palmas, vulgo traheretur ovante
carceris in tenebras spes et fiducia gentis
Regulus Hectoreae.
II 343. XI 521. 523. XVII 176.

Exempla Verg. Aen. VIII 352. Sil. XVII 176, etiam si in recta oratione essent, coniunctivum esse habitura, ex ceteris apparet. Nam perspicuum est, sententiam temporalem in exemplis huius generis cum verbo sententiae primariae artissime cohaerere; sententia primaria sola cogitari non potest; simul cum sententia temporali demum totum efficitur. Sed quod ad formam exteriorem attinet, inter haec et ea exempla, quae ante commemoravi, nihil interest; videre enim idem valet ac spectatorem esse.

b. Praesens historicum in sententia primaria longe rarius quam perfectum invenitur. Vergilius unum tantum locum habet: Aen. IX 359:

Euryalus phaleras Rhamnetis et aurea bullis
cingula, Tiburti Remulo ditissimus olim
quae mittit dona hospitio, cum iungeret absens,
Caedicus.

Lucanus duos: II 236:

Sed nocte sopora,
Parrhasis obliquos Helice cum verteret axes,
atria cognati pulsat non ampla Catonis.
IV 638.

Apud Valerium Flaccum unum exemplum invenitur: VII 259:

Cum levis a superis ad te modo laberer auris,
forte ratem primo fugientem litore cerno.

Apud Silium tria exempla exstant, quae huc referri possunt: verbum sententiae primariae auditur: VII 154:

Haec secum, medio somni cum bucina noctem
divideret; iamque, excubias sortitus iniquas,
tertius abrupta vigil iret ad arma quiete.
Confer v. 146: *secum immurmurat.*

Anacoluthon, quod vocatur, est: XIII 36:

Longo, miles, ait, quateret cum Teucria bello
Pergama, et ad muros staret sine sanguine Mavors,
sollicitis Calchas — — — — — — —
sed Calchas Danais — — — — (v. 43) *affirmat.*

Postremum in comparatione contracta: XII 279:

Graditur comitante triumpho
maior, quam ferret cum victor opima Tonanti.

Hic tamen de diversis temporibns agitur, quam ob rem fortasse melius fuit vel erat post quam auditur.

c. Infinitivus historicus in sententia primaria semel apud Vergilium occurrit: Aen. VIII 213:

Interea, cum iam stabulis saturata moveret
Amphitryoniades armenta abitumque pararet,
discessu mugire boves atque omne querellis
impleri nemus et colles clamore relinqui.

d. Post futurum exactum sententiae primariae imperfectum coniunctivi sequitur: Verg. Georg. IV 412:

Tu, nate, magis contende tenacia vincla,
donec talis erit mutato corpore, qualem
videris, incepto tegeret cum lumina somno.

e. Imperfectum in sententia primaria: Vergilius tria exempla praebet: Ecl. III 19:

Et cum clamarem 'quo nunc se proripit ille?
Tityre, coge pecus', tu post carecta latebas.

Adverbium tum in sent. prim. occurrit: Georg. IV 523:

Tum quoque, marmorea caput a cervice revulsum
gurgite cum medio portans Oeagrius Hebrus
volveret, Eurydicen vox ipsa et frigida lingua
a miseram Eurydicen! anima fugiente vocabat.
Aen. IV 408.

Lucanus item tria: I 611:

Inpatiensque diu non grati victima sacri,
cornua succincti premerent cum torva ministri,
deposito victum praebebat poplite collum.
VIII 586.

Verbum sententiae primariae deest: II 725:

Pelagus iam, Magne, tenebas,
non ea fata ferens, quae, cum super aequora toto
praedonem sequerere mari.

Valerius Flaccus quinque: II 490:

Neque enim tam lata videbam
pectora, Neptunus muros cum iungeret astris.

Verbum 'erat' in sententia primaria auditur: I 534:

Iustique facultas
hinc mihi, cum varios struerem per saecula reges.

Tum (tunc) duobus locis exstat: I 533:

Neque enim terris tum sanguis in ullis
noster erat, cum fata darem.

I 587.

Etiam illo tempore occurrit: III 352:

Scilicet haec illo iuvenem populosque manebant
tempore, Peliacis caderet cum montibus arbor.

Silius quattuor: IX 129:

Iaceres in me cum fervidus hastam,
Poenus eram.

XIII 497. XVII 326.

Iam in sententia primaria additum est: II 350:

Cum primam tenero vocem proferret ab ore,
iam bella et lituos ac flammis urere gentem
iurabat Phrygiam atque animo patria arma movebat.

f. Plusquamperfectum in sententia primaria paucis locis exstat.

Apud Vergilium duo exempla inveni: Aen. I 650:

Ornatus Argivae Helenae, quos illa Mycenis,
Pergama cum peteret inconcessosque hymenaeos,
extulerat.

Aen. XI 45.

Lucanus nullum tale exemplum habet, Valerius Flaccus autem unum: III 529:

E quibus Herculeo Dryope percussa fragore,
cum fugerent iam tela ferae, processerat ultra
turbatum visura nemus.

Silius tria: I 73:

Namque orba marito
cum fugeret Dido famulam Tyron, impia diri
Belides iuvenis vitaverat arma tyranni.

VI 22. XIII 117.

2. Plusquamperfectum coniunctivi in sententia temporali apud nostros auctores quattuor tantum locis invenitur et quidem apud Lucanum ter, apud Silium semel; in sententia primaria perfectum historicum est:

Lucanus IV 524:

Idem, cum fortes animos praecepta subissent,
optavere diem.

VII 779. IX 145.

Silius XVI 645:

Caesis ductoribus olim
magnanimis gemino leto, cum tota subisset
Sidonium possessa iugum Tartessia tellus,
— — — — *primoribus annis*
excepi nubem belli.

De X 375. XVI 194 vide pag. 83 s.; XV 84. 313 pag. 86.

Apud Vergilium et Valerium Flaccum plusquamperfectum coniunctivi post cum nusquam occurrit.

Iam inspiciamus, qualis sit apud auctores nostros usus particulae cum de rebus singularibus praeteriti temporis.[1]) Si omnes locos, iis exceptis, ubi plane significatio causalis vel concessiva inest, computamus, hi numeri locorum apud singulos auctores inveniuntur:

Buc. et Georg.	Aen.	Verg.	Luc.	Val.	Sil.
13	34	47	49	31	67

[1]) Secludo cum interea, cum tamen, cum inversum.

Praebent igitur in singulis millibus versuum

Lucanus	6,08
Valerius Flaccus	5,55
Silius	5,49
Bucolica et Georgica	4,31
Vergilii omnia carmina	3,64
Aeneis	3,44

Primum igitur admonendum est, Vergilium, praecipue in Aeneide, cum hoc modo minus saepe quam posteriores usurpare, inter eos autem, quod ad frequentiam relativam attineat, haud multum differre.

Ex his locis autem, cum modos tractabimus, decem (Verg. Aen. 4, Val. Fl. 1, Sil. 5) excludendi sunt, cum in iis difficile sit diiudicare, utrum coniunctivus obliquus sit necne. Modi ceterorum locorum ex hac tabula cernuntur:

	Buc. et Georg.	Aen.	Verg.	Luc.	Val.	Sil.
Indicat.	6	13	19	25	18	18
Coniunct.	7	17	24	24	12	44
	13	30	43	49	30	62

In singulis millibus versuum:

Valerius Flaccus	3,22	indic.
Lucanus	3,10	»
Bucclica et Georgica	1,99	»
Silius	1,48	»
Vergilii opera omnia	1,47	»
Aeneis	1,31	»

Silius	3.60	coniunct.
Lucanus	2,98	»
Bucolica et Georgica	2,32	»
Valerius Flaccus	2,15	»

Vergilii opera omnia	1,86	coniunct.
Aeneis	1,72	»

Videmus igitur, 1:o poetas epicos indicativum de rebus praeteritis multo saepius quam scriptores historiarum usurpare[1]); 2:o Valerium Flaccum et Lucanum vel plures locos indicativo quam coniunctivo expressos habere, quod praecipue apud illum eminet, et 3:o indicativum plus duplo saepius quam Vergilium et Silium usurpare; 4:o apud Vergilium sententias coniunctivas paulo tantum plures quam indicativas esse; 5:o contra Silium, ad usum scriptorum prosae orationis propius accedentem, numerum exemplorum coniunctivo formatorum altero tanto maiorem habere; denique 6:o carmina Vergilii in usu modorum non multum inter se discrepare.

Quod ad tempora sententiae temporalis attinet, perfectum in sententiis indicativis apud omnes usitatissimum est, imperfectum in sententiis coniunctivis. Praesens historicum octo locis occurrit, quorum dimidia pars apud Valerium Flaccum invenitur, imperfectum indicativi item in octo exemplis, ex quibus quinque apud Vergilium, apud ceteros singula. Plusquamperfectum indicativi semel tantum (a Vergilio), plusqu. coniunctivi quater (Luc. ter, Sil. semel) adhibetur.

---

[1]) Confer Hoffmann pag. 1 ss. et supra pag. 14.

Postquam, ubi, ut, simul, simulac.

Eodem modo ac supra de coniunctione cum animadvertimus, numeros locorum, ubi hae particulae inveniuntur, si locos universos respicimus, apud auctores singulos non magnam differentiam praebere, ex numeris, quos pag. 11 exposui, elucet. Tamen observandum est, poetas argenteae aetatis, praecipue Silium, eas paulo pluribus locis quam Vergilium usurpare. Praebent enim in singulis millibus versuum

Silius	19,92	locos
Valerius Flaccus	17,53	»
Lucanus	17,12	»
Aeneis	16,78	»
Vergilii carmina omnia	16,19	»
Bucolica et Georgica	14,26	»

Sin autem numeros particularum singularum, quos auctores nostri singuli habent, comparamus, rem longe aliter se habere apparet. Hi numeri in singulis millibus versuum exstant:

Postquam

Silius	6,80	locis
Lucanus	4,46	»
Aeneis	3,74	»
Vergilii carmina omnia	3,25	»
Valerius Flaccus	1,79	»
Bucolica et Georgica	1,66	»

Ubi

Bucolica et Georgica	11,60	locis
Valerius Flaccus	8,41	»
Vergilii omnia carmina	7,98	»
Silius	7,13	»
Aeneis	6,87	»
Lucanus	3,97	»

Ut

Lucanus	8,44	locis
Valerius Flaccus	6,62	»
Aeneis	5,86	»
Silius	5,66	»
Vergilii omnia carmina	4,57	»
Bucolica et Georgica	0,33	»

Simul, Simulac

Valerius Flaccus	0,71	locis
Bucolica et Georgica	0,66	»
Vergilii omnia carmina	0,39	»
Silius	0,33	»
Aeneis	0,30	»
Lucanus	0,25	»

Ea, quae ex his tabulis discere possumus, praecipue haec sunt: 1:o ubi apud omnes auctores nostros Lucano excepto saepius quam ceteras particulas usurpari; 2:o hanc coniunctionem apud Vergilium et Valerium Flaccum prope totidem locis quot ceteras universas occurrere; apud Silium autem numerorum differentiam non magnam esse; 3:o contra apud Lucanum numerum locorum, quibus particula ut adhibetur, non minorem esse quam summam eorum, qui postquam et ubi praebent; 4:o postquam a Valerio Flacco et a Vergilio in Bucolicis et Georgicis raro usurpari; 5:o simul (simulac) apud

omnes rarum esse; postremo animadvertendum est, 6:o particulam *ut* in Bucolicis nusquam, in Georgicis semel tantum adhiberi.

Pro *ubi primum*, quod semel tantum et quidem apud Vergilium invenitur, nonnullis locis (Verg. 4, Sil. 2) *ubi primus* usurpatur. Contra *ut primum* haud minus 18 locis a Lucano adhibetur, a Vergilio novies, a Silio quater, sed a Valerio Flacco nusquam; is pro eo duobus locis *ut primus* praebet, quod etiam apud Vergilium et Silium singulis locis occurrit.

Postquam.[1])

Uno loco excepto, quo coniunctivus obliquus est, ubique indicativus post hanc particulam occurrit. De rebus iteratis vel generatim dictis perraro usurpatur; tres tantum locos inveni.

I. Perfectum historicum[2]) in sententia temporali longe plurimis locis invenitur.

1. Perfectum historicum in sententia primaria.

Vergilius septem locos praebet: Aen. I 520:
Postquam introgressi et coram data copia fandi,
maximus Ilioneus placido sic pectore coepit.

Aen. IV 151. 648. V 577. VI 226. VII 661. XII 739. De Aen. III 192 vide pag. 111.

Apud Lucanum exempla 13 inveni: III 484:
At postquam virtus incerta virorum
perpetuam rupit defesso milite cratem,
singula continuis cesserunt ictibus arma.

I 291. IV 169. V 113. VI 681. VII 242. VIII 63. 618. IX 11. 51. 659.

---

[1]) Neque posteaquam nec post — quam (postea — quam) apud nostros auctores exstat.

[2]) Draeger II² pag. 584.

Nonnumquam adverbium additur: VIII 726:

Postquam sicco iam littore sedit,
incubuit Magno lacrimasque effundit.

IV 56 (tunc in sent. prim.).

Valerius Flaccus unum tantum locum habet: VIII 92:

Ipsa caput cari postquam Medea draconis
vidit humi, fusis circum proiecta lacertis
seque suumque simul flevit crudelis alumnum.

Silius novem: I 630:

Sed postquam clades patefecit et horrida bella
orantum squalor, praesens astare Sagunti
ante oculos visa est extrema precantis imago.

VII 525. VIII 84. 135. XIV 42. 666. XVI 478.

Adverbium tum in sententia primaria additur X 327. XI 129.

2. Praesens historicum in sententia primaria est.

Apud Vergilium loci 15 huius generis inveniuntur: Aen. III 57:

Postquam pavor ossa reliquit,
delectos populi ad proceres primumque parentem
monstra deum refero.

Georg. IV 374. Aen. I 216. 723.[1]) III 662. VII 6. VIII 184. XI 146. 248. XII 604. 945 (sc. inquit). De Aen. III 1 vide pag. 111.

Quattuor locis adverbium additum est: Aen. III 463:

Quae postquam vates sic ore effatus amico est,
dona dehinc auro gravia sectoque elephanto
imperat ad naves ferri.

VI 888 (exin). VII 406 (protinus). XI 631 (tum).

---

[1]) Cfr infra p. 112.

Lucanus locos 13 praebet: II 233:

Sed postquam condidit urna
supremos cineres — — — — sic maesta profatur.

III 372. 629. 712. 715. IV 715. V 510. VI 1. 347. 820. VII 787. VIII 674. X 172. — IV 205 infra pag. 111 commemorabo.

Valerius Flaccus unum: VII 526:

Seque metu postquam sua vellera circum
sustulit atque omnis spiris exhorruit arbor,
incipit inde sequi.

Silius contra hac structura haud minus 57 locis utitur: I 165:

Quem postquam diro suspensum robore vidit
deformem leti famulus, clam corripit ensem.

I 456. 496. 595. II 380. V 170. 231. 573. VI 364. 407. 698. VII 159. 422. VIII 50. 202. 278. IX 80. 374. 479. 497. X 309. 426. 513. XI 67.[1]) 314. 410 (sc. dixit). XII 223. 232. 337. XIII 51. 111. 153. 343. 494. XIV 292. XV 121. 263. 381. XVI 68. 81. 227 (sc. factus est). 239. 575. XVII 182. 522.

Nonnullis locis adverbium in sententia primaria invenitur: III 45:

Postquam oculos varia implevit virtutis imago,
mira dehinc cernit.

Praeterea III 1 (extemplo). IV 412 (hinc). VI 96 (tandem). VII 200 (iam). XII 158 (inde). 281 (inde). XV 68 (tum). XVI 281 (tum).

Occurrit etiam pro adverbio aliud verbum indicans id, quod sententia primaria continetur, statim post actionem sententiae temporalis fieri: XII 379:

Qui postquam appulsis animos auxere carinis,
haud mora: prorumpit latebris.

Ita etiam (non exspectato): XII 507. XVI 497.

---

[1]) profundit S.

Observandum est in aliquot exemplis supra allatis post primum verbum sententiae temporalis alterum verbum sequi, quod sua ipsius significatione indicat, actionem vel statum, qui sententia temporali continetur, durare, cum actio sententiae primariae fit: Sil. VI 364:

Postquam confectum nautis opus, horaque cursus,
atque armata ratis ventique dedere profundum:
omnis turba ruit.

Confer XI 314. XII 507. XVII 182.

3. Infinitivus historicus in sent. primaria bis occurrit: Verg. Aen. X 298:

Quae talia postquam
effatus Tarchon, socii consurgere tonsis
spumantisque rates arvis inferre Latinis.

Silius I 239:

Hae postquam Tyrio gentes cessere tyranno,
utque dati rerum freni, nunc arte paterna
conciliare viros armis, consulta senatus
vertere nunc donis.

4. Imperfectum in sententia primaria uno loco exstat: Vergilii Aen. II 90:

Invidia postquam pellacis Ulixi
(haud ignota loquor) superis concessit ab oris,
adflictus vitam in tenebris luctuque trahebam.

5. Plusquamperfectum duobus locis: Verg. Aen. VI 168:

Postquam illum vita victor spoliavit Achilles,
Dardanio Aeneae sese fortissimus heros
addiderat socium non inferiora secutus.

Silius X 98:

Unanima inde phalanx, crudo ducente magistro,

postquam hominum satiata necem,[1]) *prostraverat ictu*
innumero cum turre feram facibusque secutis
ardentem monstri spectabat laeta ruinam,
cum . . .

Hic etiam imperfectum et cum inversum sequuntur.

II. Perfectum logicum[2]) in sententia temporali.

1. Praesens logicum in sent. primaria.

De rebus iteratis uno loco usurpatur: Lucanus IV 289:

Tum frigidus artus
alligat atque animum subducto robore torpor,
postquam sicca rigens astrinxit[3]) *volnera sanguis.*

De Verg. Georg. III 432 vide pag. 111.

Saepe per sententiam temporalem id tempus significatur, unde actio sententiae primariae esse incipit: Verg. Aen. III 211:

Insulae Ionio in magno, quas dira Celaeno
Harpyiaeque colunt aliae, Phineia postquam
clausa domus mensasque metu liquere priores.

Aen. VII 708 (obs. nunc).

Lucanus I 277:

At postquam leges bello siluere coactae,
pellimur e patriis laribus patimurque volentes
exilium.

Valerius Flaccus tria eiusmodi exempla praebet: I 7:

Tuque o, pelagi cui maior aperti
fama, Caledonius postquam tua carbasa vexit
oceanus.

II 94. 98.

---

1) ita S; 'nece est' Livineius aliique.

2) Draeger II^2 pag. 585.

3) astringit G_1.

Cum his exemplis conferendum est: Verg. Aen. II 647:

Iam pridem invisus divis et inutilis annos
demoror, ex quo me divom pater atque hominum rex
fulminis adflavit ventis et contigit igni.

Similia sunt Verg. Aen. II 163. V 47. Val. Fl. VIII 160. Silius XIII 673. XV 527.

2. Perfectum logicum in sent. prim.

De re generatim dicta in comparatione occurrit apud Vergilium semel: Aen. X 710:

(*Ac velut aper,*) *postquam inter retia ventum est,*
substitit infremuitque ferox et inhorruit armos.

De rebus singularibus quater occurrit: Verg. Ecl. V 34:

Postquam te fata tulerunt,
ipsa Pales agros atque ipse reliquit Apollo.

Ecl. I 29 vide pag. 112.

Lucanus duos locos habet: II 437:

At postquam gemino tellus elisa profundo est,
extremi colles Siculo cessere Peloro.

IV 816, ubi nunc in sent. prim. est.

Valerius Flaccus unum: IV 31: (Hylas loquitur)

Iam socii laetis rapuerunt vincula ventis,
hortator postquam furiis et voce nefanda
inpulit Oenides.

3. Imperfectum coniunctivi irrealis in sententia primaria semel apud Vergilium exstat: Aen. IV 15:

Si mihi non animo fixum immotumque sederet,
ne cui me vinclo vellem sociare iugali,
postquam primus amor deceptam morte fefellit, . . .

Animadvertendum est, perfectum logicum post particulam postquam apud Silium nusquam inveniri.

III. Praesens historicum in temporali sententia est.[1])

1. Praesens historicum etiam in sententia primaria plurimis locis occurrit.

Vergilius exempla quinque praebet: Aen. III 37:
Tertia sed postquam maiore hastilia nisu
adgredior genibusque adversae obluctor harenae,
(eloquar an sileam?) gemitus lacrimabilis imo
auditur tumulo, et vox reddita fertur ad aures.

In hac structura apud omnes auctores verbum sentiendi in temporali sententia saepe invenitur: Aen III 518:
Postquam cuncta videt caelo constare sereno,
dat clarum e puppi signum.
XII 861 (videt).

Utrum praesens in his exemplis idem ac perfectum historicum valeat an statum indicet, quo fit actio sententiae primariae, haud facile est diiudicare. Sed de hac re plura infra. Contra vis perdurationis plane elucet Aen. XII 432:
Postquam habilis lateri clipeus loricaque tergo est,
Ascanium fusis circum complectitur armis.
Sic etiam Aen. III 1, cfr pag. 111.

Apud Lucanum locos quattuor inveni. In tribus exemplis verbum sentiendi occurrit: IV 143:
Postquam omnia fatis
Caesaris ire videt, celsam Petreius Ilerdam
deserit.
IV 699 (cernit). Praeterea post perfectum IV 205 (videt); confer pag. 111.

Aliud verbum uno tantum loco exstat: VIII 504:
Postquam nulla manet rerum fiducia, quaerit,
cum qua gente cadat.

---

[1]) Draeger II² pag. 585.

Valerius Flaccus duo exempla habet, quae ambo verba sentiendi praebent: III 27:

Quae postquam Haemoniam tantae non immemor irae
aerisono de monte ratem praefixaque regum
scuta videt, nova monstra viro, nova funera volvit.

IV 142 (cernit).

Apud Silium loci novem huius generis inveniuntur, ex quibus septem verbis videndi expressi sunt: II 237:

Id postquam Herculeae custos videt impiger arae,
emicat et velox formidine praevenit hostem.

II 143 (sentit). Praeterea videt occurrit II 609. V 555. VI 612. XIII 147.[1]) XV 370.

In ceteris duobus significatio perdurationis plane inest: XV 488:

Impiger occultis Poenus postquam abditur umbris,
saxosae fidens silvae, maiora petuntur
rursus bella.

Verbum sententiae temporalis deest: XIV 458:

Is, postquam adversis nullus modus: 'Accipe nostrum,
Hammon, sanguinem,' ait.

2. Perfectum historicum in sententia primaria minus saepe invenitur.

Apud Vergilium duo loci occurrunt: Aen. I 154:

Sic cunctus pelagi cecidit fragor, aequora postquam
prospiciens genitor caeloque invectus aperto
flectit equos curruque volans dat lora secundo.

Praeterea perfectum et praesens in sent. temporali Aen. III 192 (apparent); cfr pag. 111.

Apud Lucanum unus tantum: III 659:

Postquam inhibent remis puppes ac rostra recedunt,
deiectum in pelagus perfosso pectore corpus
volneribus transmisit aquas.

---

[1]) Blass coni. 'vidit' pro 'videt, et' servata lectione 'imperitans' v. 147.

Videmus, in nullo horum locornm verbum sentiendi inveniri. Sed apud Valerium Flaccum et Silium ubique verba sentiendi occurrunt.

Val. Fl: V 468:

Postquam primis inhiantia dictis
agmina suppressumque *videt* *iam murmur Iason,*
talia miranti promptus *tulit* *orsa tyranno.*

VII 576 (videt).

Silius unum exemplum habet: XVII 153:

Huc *confugere* *paventes,*
postquam *se superum desertos numine* *cernunt.*

3. Imperfectum in sententia primaria bis tantum et quidem apud Silium exstat. Alterum exemplum verbum sentiendi praebet: II 188:

Iamque *aderat* *remeans virgo, inter proelia* *postquam*
distringi Therona *videt.*

Praeterea VII 20:

At Libyae ductor, *postquam* *nova nomina lecto*
dictatore *vigent* *. . . cognoscere* *havebat,*
quae fortuna viro, quodnam decus.

Videmus igitur, inter hos 28 locos duodeviginti (Verg. 2, Luc. 3, Val. 4, Sil. 9) verba sentiendi habere, ex quibus haud minus quattuordecim (Verg. 2, Luc. 2, Val. 3, Sil. 7) postquam videt praebent. Vergilius solus alia verba saepius quam verba sentiendi in tempore praesenti adhibet. Apud Valerium Flaccum contra in omnibus locis praesenti historico expressis verba sentiendi occurrunt.

IV. Perfectum et praesens historicum in sententia temporali inveni tribus illis locis, quos iam supra commemoravi. In exemplis Vergilianis vis perdurationis

facillime perspicitur. Duobus locis praesens historicum in sententia primaria occurrit:

Vergilii Aen. III 1:
Postquam res Asiae Priamique evertere gentem
immeritam visum superis ceciditque superbum
Ilium et omnis humo fumat Neptunia Troia,
diversa exsilia et desertas quaerere terras
auguriis agimur divum.

Lucanus IV 205:
Nam postquam foedera pacis
cognita Petreio seque et sua tradita venum
castra videt, famulas scelerata ad proelia dextras
excitat.

Perfectum historicum in sententia primaria semel sequitur: Verg. Aen. III 192:
Postquam altum tenuere rates nec iam amplius ullae
apparent terrae, caelum undique et undique pontus,
tum mihi caeruleus supra caput adstitit imber.

Hoc uno loco adverbium in sententia primaria post praesens historicum sententiae temporalis a particula postquam introductae sequitur.

V. Praesens logicum in sententia temporali, quod non numquam apud comicos invenitur, apud posteriores perrarum est.[1]) Inter nostros auctores Vergilius solus hac structura utitur et quidem bis tantum; ambobus locis praesens cum perfecto logico coniunctum est.

Altero loco, ubi de re generatim dicta agitur, praesens in primaria sententia est: Georg. III 432:
Postquam exusta palus terraeque ardore dehiscunt,
exilit in siccum (anguis).

[1]) Draeger II² pag. 585 s.

Alter locus perfectum in sententia primaria praebet; actio singularis est: Ecl. I 29:

Respexit tamen et longo post tempore venit,
postquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit.

VI. Imperfectum in sententia temporali statum temporis praeteriti indicans, quod apud comicos semel tantum occurrit,[1]) posteriores, imprimis Livius, saepius adhibent. Apud nostros poetas exempla quinque inveni.

1. In duobus, quae iam supra commemoravi, imperfectum cum perfecto coniunctum est: Silius XIV 292:

Quae cernens ductor, postquam immedicabile visum
seditio, atque ultro bellum surgebat ab hoste ...,
aggreditur muros.

Verbum erat post quies subauditur: Verg. Aen. I 723:

Postquam prima quies epulis mensaeque remotae,
crateras magnos statuunt et vina coronant.

2. In ceteris tribus imperfectum nudum occurrit.

Praesens historicum in sententia primaria: Lucanus V 497:

His terque quaterque
vocibus excitum postquam cessare videbat,
sponte per incautas audet temptare latebras.

Perfectum in sent. prim.: Verg. Ecl. I 27:

Libertas, quae sera tamen respexit inertem,
candidior postquam tondenti barba cadebat.

Postremo plusquamperfectum in sententia primaria exstat: Silius XV 598:

Sed, postquam gravior moles terrorque periclo

[1]) Hoffmann pag. 7 ss. Draeger II² pag. 586 s.

poscebat propiore virum, revocatus ad arma
tot caesis ducibus, patriae donaverat iram.

Apud Valerium Flaccum haec structura nusquam invenitur.

VII. Plusquamperfectum a particula postquam pendens ante Livium raro occurrit. De eius significatione atque usu Hoffmann in libro suo copiose disputat.[1]) Affert etiam locum Vergilianum. Perfectum historicum in sententia primaria est: Aen. XI 94:

Postquam omnis longe comitum processerat ordo,
substitit Aeneas gemituque haec addidit alto.

Apud Silium solum duo exempla huius structurae inveni.

Perfectum in sent. prim.: XII 646:

Sic adeo orantes pressere silentia, postquam
abstulerat terras nigrantibus Hesperus umbris.

Imperfectum in sent. prim.: VI 28:

Postquam subsidere fata
viderat et magna pugnam inclinare ruina,
occulere interdum et terrae mandare parabat.

VIII. Coniunctivus semel tantum et quidem in oratione obliqua invenitur:[2]) Verg. Aen. VII 765:

Namque ferunt fama Hippolytum, postquam arte novercae
occiderit patriasque explerit sanguine poenas
turbatis distractus equis, ad sidera rursus
aetheria et superas caeli venisse sub auras.

---

[1]) Pag. 13—40. Confer praeterea Draeger II² pag. 589 s.

[2]) De usu coniunctivi post particulam postquam vide Hoffmann pag. 46 ss. Draeger II² pag. 591 s.

Ubi.

A. **Indicativus**, sex locis exceptis, ubique invenitur.

I. Perfectum historicum,[1]) ut post particulam postquam, plurimis locis occurrit. De rebus singularibus agitur.

1. Perfectum historicum etiam in sententia primaria est.

Vergilius locos decem praebet: Aen. II 790:

Haec ubi dicta dedit, lacrimantem et multa volentem
dicere deseruit.

Idem Aen. VII 323. X 633. XII 441. — *Haec ubi dicta:* I 81.

Aen. I 405:

Ille ubi matrem
adgnovit, tali fugientem est voce secutus.

Aen. III 596. VI 684. XI 799. — Observandum est Aen. V 139:

Inde, ubi clara dedit sonitum tuba, finibus omnes,
haud mora, prosiluere suis.

Lucanus exempla sex habet: X 107:

Pax ubi parta duci donisque ingentibus empta est,
excepere epulae tantarum gaudia rerum.

I 103. III 550. — II 500: *Haec ubi dicta.* IX 109: *Sic ubi fata.*

---

[1]) Draeger II² p. 593.

Adverbium in sententia primaria est: II 669:

Ergo ubi nulla vado tenuit sua pondera moles,
tunc placuit caesis innectere vincula silvis.

Apud Valerium Flaccum quattuor exempla inveniuntur: I 487:

Ille ubi se mediae per scuta virosque carinae
intulit, ardenti Aesonides retinacula ferro
abscidit.

I 300. — II 384: *Haec ubi dicta.* V 54: *Haec ubi fatus.*

Apud Silium loci undecim occurrunt: XIII 66:

Verum ubi Tyrrheni perventum ad fluminis undas
castraque Tydides posuit fulgentia ripa,
Priamidae intremuere metu.

III 640. X 488. XII 423. XIII 616. XIV 85. 317. 512.

Ubi primus semel exstat: VII 96:

Verum ubi prima satis conspecta in montibus altis
signa procul, fulsitque novis exercitus armis,
arrectae spes Sidonii.

Adverbium in sententia primaria ponitur XI 434 (inde). XVII 13 (tum deinde).

De XVII 592 vide infra.

2. Praesens historicum in sententia primaria apud omnes auctores nostros saepius invenitur.

Apud Vergilium locos 22 inveni: Aen. VII 471:

Haec ubi dicta dedit divosque in vota vocavit,
certatim sese Rutuli exhortantur in arma.

Idem occurrit etiam VI 628. VIII 541. XII 81. — *Haec ubi dicta:* V 32. 315. VIII 175.

Aen. I 715:

Ille ubi complexu Aeneae colloque pependit
et magnum falsi implevit genitoris amorem,
reginam petit.

Aen. II 347. 634. III 238. IV 474. V 816. VI

201. 340. VII 541. IX 549. X 721. XI 59. Praeterea V 362, ubi verbum ait in sententia primaria subaudio.

In sententia primaria ecce invenitur: Aen. III 219:
Huc ubi delati portus intravimus, ecce
laeta boum passim campis armenta videmus.

Perfectum + praesens in sent. temp. Aen. IV 80; vide infra.

Lucanus decem exempla habet: I 630:
His ubi concepit magnorum fata malorum,
exclamat.

II 330. III 298. VI 413. 719. VIII 460. 589. — VIII 775: *Haec ubi fatus.*

Adverbium in sent. prim. additum est: III 71:
Haec ubi sunt provisa duci, tunc agmina victor
non armata trahens, sed pacis habentia voltum,
tecta petit patriae.

IV 283 (paulatim).

Valerius Flaccus hanc structuram haud minus 15 locis adhibet: III 286:
Ille ubi concretos pingui iam sanguine crines
pallentesque genas infractaque pectore caro
tela neque hesternos agnovit in hospite vultus,
ingemit atque artus fatur complexus amicos.

I 785. IV 68. 114. VI 322. 546. VIII 405. — *Haec ubi dicta dedit:* II 69. *Haec ubi dicta:* VII 511. *Haec ubi fatus (fata):* IV 653. VII 349.

In sententia primaria adverbium ponitur: II 69:
Haec ubi dicta dedit, Cereris tum munere fessas
restituunt vires.

VI 182 (continuo hinc). VII 461 (nunc). — De III 264. VIII 243 (perf. + praes.) vide infra pag. 123.

Apud Silium exempla 33 inveniuntur: IV 326:
Isque ubi Callaici radiantem tegminis orbem
extulit et magno percussit lumine campos,
spes virtusque cadunt.

IV 560. V 586. VI 33. 568. 571. IX 106. 561. X 540. XII 664. XIII 206. 419. 621. 736. XVI 317. XVII 92. 121. 201. 444. — VII 746: *Haec ubi dicta dedit.* XVI 393: *Haec ubi dicta.*

Ubi primus uno loco occurrit: X 353:
Ast ubi, per tacitum allapsus, tentoria prima
Barcaei petiit iuvenis, quatit inde soporas
devexo capiti pennas.

Postremo in sententia primaria adverbium sequitur: I 123:
Ast ubi quaesitas artis de more vetustae
intravit mentes superum, sic deinde profatur.

II 580 (inde). III 696 (ecce; etiam adiect. subitus sequitur). VIII 76 (tum). X 353 (inde). XV 352 (iam dudum).

Praeterea perfectum cum aliis temporibus coniunctum in sententia primaria nonnullis locis invenitur: IV 94. 711. XII 574. XIV 114. XV 237. XVI 138. De his vide pag. 123.

3. Infinitivus historicus in sententia primaria duobus locis invenitur: Verg. Aen. X 457:
Hunc ubi contiguum missae fore credidit hastae,
ire prior Pallas.

Valerius Flaccus VII 4:
Ergo ubi cunctatis extremo in limine plantis
contigit aegra toros et mens incensa tenebris,
vertere tunc varios per longa insomnia questus.

4. Imperfectum in sententia primaria apud Silium solum exstat; duos locos inveni: VII 205:

Hic ubi primo
ungula dispersit rores Phaethontia Phoebo,
uviferis late florebat Massicus arvis.

XVI 180 (iam in sent. prim.).

II. Perfectum logicum in sententia temporali[1]) de rebus iteratis vel generatim dictis apud auctores nostros haud raro occurrit. Eodem modo ac in particula cum tractanda feci, ea exempla separatim enumerabo, quibus comparatio continetur.

1. Praesens in sententia primaria.

a. Comparatio non inest.

Vergilius exempla duodecim huius generis praebet; duobus locis exceptis in Georgicis inveniuntur: Georg. IV 77:

Ergo ubi ver nactae sudum camposque patentis,
erumpunt portis.

Georg. III 235. 271. 441 (sententia a particula cum incipiente sequitur). IV 189. 234 (simul antecedit). Aen. VI 748. XI 737. — Georg. II 107 praesens coniunctivi in sententia primaria est.

Ubi primus semel: Georg. I 250:

Nosque ubi primus equis Oriens adflavit anhelis,
illic sera rubens accendit lumina Vesper.

Adverbium in sententia prim. occurrit: Georg. IV 51 (continuo). 186 (tum).

Ceteri hanc structuram raro adhibent. Lucanus duo exempla habet: V 97:

Hoc ubi virgineo conceptum est pectore numen,

---

[1]) Cfr Draeger II² pag. 593.

humanam feriens animam sonat oraque vatis solvit.

Adverbium tunc additur X 210.

Valerius Flaccus unum tantum: V 599:

Atque ubi Rhipaea stupuerunt flumina bruma,
iam pavidi cum prole Getae, iam pervigil illum
Medus et oppositis expectat Hiberia claustris.

Silius duo: I 209:

Atque ubi fessus equos Titan immersit anhelos,
flammiferum condunt fumanti gurgite currum.

I 226.

b. In comparationibus.

Apud Vergilium loci quattuor exstant:

Formae II duo: Aen. VI 270:

Quale per incertam lunam sub luce maligna
est iter in silvis, ubi caelum condidit umbra
Iuppiter et rebus nox abstulit atra colorem.

XII 908.

Formae III etiam duo: Aen. VIII 589:

. . . qualis (sc. est,) ubi Oceani perfusus Lucifer unda
extulit os sacrum caelo tenebrasque resolvit.

IX 563.

Lucanus tres locos praebet, ex quibus duo formam I habent: IV 237:

Sic ubi desuetae silvis in carcere cluso
mansuevere ferae et voltus posuere minaces
atque hominem didicere pati: si torrida parvus
venit in ora cruor, redeunt rabiesque furorque,
admonitaeque tument gustato sanguine fauces.

V 714.

Forma II loco uno invenitur: I 208 (obs. tum).

Valerius Flaccus quoque hac structura tribus locis utitur, sed ad usum Vergilianum magis se applicat; habet enim formae II unum exemplum: III 82:

Bistonas in medios ceu Martius exilit astris
currus, ubi ingentes animae clamorque tubaeque
sanguineae iuvere deum, non segnius ille eqs.

Formae III duo: III 130:

... quantus ubi immenso prospexit ab aethere Typhon
igne simul ventisque rubens.

VI 611.

Silius contra forma I sola utitur; exempla quattuor habet: IV 331:

Sic, ubi Caucaseis tigris se protulit antris,
linquuntur campi, et tutas petit omne latebras
turbatum insano vultu pecus.

X 322. XIII 24. XV 210.

2. Perfectum logicum in sententia primaria uno tantum loco inveni et quidem in comparatione: Silius XVII 592:

Sic ubi, vi caeca tandem devictus, ad astra
evomuit pastos per saecula Vesbius ignes,
et pelago et terris fusa est Vulcania pestis,
videre Eoi, monstrum admirabile, Seres
lanigeros cinere Ausonio canescere lucos.[1])

III. Praesens historicum in sententia temporali.[2])

1. Praesens historicum etiam in sententia primaria ubique fere occurrit. Ut apud particulam postquam verba sentiendi haud raro inveniuntur.

---

[1]) Perfectum consuetudinis, Draeger I pag. 253.

[2]) Draeger II² pag. 593.

Vergilius hanc constructionem decem locis adhibet. Verba sentiendi in sententia temporali quinquies praebet: Ecl. VII 8:

Ille ubi me contra videt, 'ocius', inquit,
'huc ades, o Meliboee!'

Georg. IV 443 (reperit). Aen. XI 702 (cernit).

Adverbium additum est: Aen. XII 495:

Diversos ubi sentit equos currumque referri,
iam tandem invadit medios.

Aen. VII 373 (videt, tum).

Alia verba sequuntur: Aen. III 670:

Verum ubi nulla datur dextra adfectare potestas
nec potis Ionios fluctus aequare sequendo,
clamorem immensum tollit.

Aen. VII 591.

Ubi primus uno loco occurrit: Aen. III 69:

Inde, ubi prima fides pelago placataque venti
dant maria et lenis crepitans vocat auster in altum,
deducunt socii naves et litora complent.

Iam tandem sequitur Aen. X 888.

Postremo post perfectum Aen. IV 80; vide infra pag. 123.

Lucanus duo tantum exempla huius generis habet. Altero loco verbum sentiendi: VI 149:

Hic ubi quaerentis socios iam Marte relicto
tuta fugae cernit, 'Quo vos pavor', inquit, 'adegit?'

Praeterea II 628 (Obs. tunc):

Ergo ubi nulla fides rebus post terga relictis
nec licet ad duros Martem convertere Hiberos,
tunc subole e tanta natum, cui firmior aetas,
adfatur.

Apud Valerium Flaccum novem locos inveni; in septem exemplis, ubi perfectum non antecedit, verba sentiendi occurrunt: IV 535:

Hunc ubi reclinem stratis et pace fruentem
aspicit et longae ducentem oblivia poenae,
talibus appellat supplexque ita fatur Iason.

III 487 (videt). IV 174 (accipiunt). 303 (sentit). 433 (sentit). VIII 321 (cernit). In sententia primaria adverbium positum est: VII 153 (videt, non iam). 323 (sentit, tum).

Praeterea III 264, ubi perfectum + praesens in sent. temporali occurrit; vide infra.

Silius 14 exempla praebet, quorum in sex verba sentiendi exstant: XII 167:

Isque ubi Agenoream procul adventare per aequor
et ferri ad muros nubem videt: 'Arma, cruentus
hostis adest, capite arma, viri', clamatque capitque.

IX 100 (videt). XII 350 (videt). 489 (cernit). XIII 188 (videt). Iam in sententia primaria I 29 (videt).

Alia verba inveniuntur: III 666:

Verum ubi defessi lucos nemorosaque regna
cornigeri Iovis et fulgentia templa subimus,
exceptos hospes tectis inducit Arisbas.

VI 216. XVI 600. Iam tandem in sent. prim. occurrit: XVII 509.

De IV 94. 711. XII 574. XIV 114 vide infra.

2. Perfectum historicum in primaria sententia tribus tantum locis usurpatur. Duo exempla apud Lucanum reperiuntur. Verbum sentiendi praedicatum est: II 16:

Ergo ubi concipiunt, quantis sit cladibus orbi
constatura fides superum, ferale per urbem
iustitium, latuit plebeio tectus amictu
omnis honos, nullos comitata est purpura fasces.

Aliud verbum: IV 72:

Hic ubi iam zephyri fines et summus Olympi

cardo tenet Tethyn, vetitae transcurrere densos
involvere globos.
Unum apud Valerium Flaccum: VIII 243; vide infra.

3. Imperfectum in sententia primaria semel tantum et quidem post perfectum invenitur. Est apud Valerium Flaccum II 584; vide infra.

Inter hos 39 locos, quibus praesens historicum post particulam ubi sequitur, viginti unus igitur verbis sentiendi expressi sunt (Verg. 5, Luc. 2, Val. 8, Sil. 6), quorum tamen haud plus novem (Verg. 2, Val. 2, Sil. 5) ubi videt praebent (cf. postquam videt 14 locis ex 18).

IV. Perfectum et praesens historicum in sententia temporali apud nostros auctores octies invenitur. Sexies in sententia primaria praesens sequitur.

Vergilius unum locum habet: Aen. IV 80:
Post, ubi digressi lumenque obscura vicissim
luna premit suadentque cadentia sidera somnos,
sola domo maeret eqs.

Valerius Flaccus quoque unum: III 264:
Ceu pavet ad crines et tristia Pentheos ora
Thyias, ubi impulsae iam se deus agmine matris
abstulit et caesi vanescunt cornua tauri.

Apud Silium quattuor loci occurrunt: XII 574:
Atque ubi nox depulsa polo primaque rubescit
lampade Neptunus revocatque Aurora labores,
effundit rupto persultans agmina vallo.
IV 94. 711. XIV 114.

Perfectum (+ praesens) in sententia primaria semel occurrit: Valerius Flaccus VIII 243:
Inde, ubi sacrificas cum coniuge venit ad aras
Aesonides, unaque adeunt pariterque precari

incipiunt, ignem Pollux undamque iugalem
praetulit, et dextrum paterae vertuntur in orbem.

Etiam imperfectum in sent. prim. apud Valerium Flaccum semel exstat: II 584:

Inde ubi iam medii tenuere silentia ponti
stridentesque iuvant aurae, Phrixea subibant
aequora eqs.

Apud Lucanum haec structura non invenitur.

V. Praesens logicum[1]) in sententia temporali de rebus iteratis vel generatim dictis etiam saepius quam perfectum logicum apud nostros auctores usurpatur. In sententia primaria quoque ubique praesens sequitur.

a. Comparatio non inest.

Vergilius novem exempla praebet: Aen. V 124:

Est procul in pelago saxum spumantia contra
litora, quod tumidis submersum tunditur olim
fluctibus, hiberni condunt ubi sidera cori.

Georg. II 353. III 130. Aen. VII 611. Huc refero etiam Georg. II 312: *Hoc ubi* (sc. incidit vel est).

Coniugatio periphrastica passivi in sententia primaria nobis occurrit: Georg I 311:

Quid tempestates autumni et sidera dicam,
atque, ubi iam breviorque dies et mollior aestas,
quae vigilanda viris?

Imperativus in sent. prim.: Georg. III 95:

Hunc quoque, ubi aut morbo gravis aut iam segnior annis
deficit, abde domo nec turpi ignosce senectae.

---

[1]) Draeger II² p. 593.

Praeterea Georg. I 417 (perfectum + praesens), de quo vide infra pag. 127, et Georg. I 208 (futurum exactum + praesens), pag. 131.

Haec structura rarius a posterioribus adhibetur. Lucanus duo exempla habet: VI 538:

Ast ubi servantur saxis, quibus intimus umor
ducitur, et tracta durescunt tabe medullae
corpora, tunc omnis avide desaevit in artus eqs.

IV 750.

Valerius Flaccus unum: VI 123:

Namque ubi iam viresque aliae notusque recusat
arcus et inceptus iam lancea temnit erilis,
magnanimis mos ductus avis, haut segnia mortis
iura pati.

Silius duo: I 590:

Atque ubi se terris glaciali fundit ab Arcto,
haud ulli contra fiducia surgere vento.

IV 321.

b. In comparationibus auctores nostri praeter Lucanum hanc structuram multo saepius usurpant.

Apud Vergilium quindecim locis invenitur; forma I deest, sed forma II quinquies occurrit: Aen. VII 718:

. . . *quam multi Libyco volvuntur marmore fluctus,*
saevus ubi Orion hibernis conditur undis.

Georg. IV 433. 473. Aen. IV 301. VI 311.

Forma III haud minus decem locis exstat: Aen. II 471:

Qualis ubi in lucem coluber mala gramina pastus
nunc positis novus exuviis nitidusque iuventa
lubrica convolvit sublato pectore terga
arduus ad solem et linguis micat ore trisulcis.

Aen. I 592. IV 143. VI 707. VIII 22. XI 624. XII 67. 451. 521. De XI 492 vide pag. 127.

Lucanus unum modo exemplum praebet et quidem formae I, quam maxime amat: IX 182:

Sic, ubi depastis summittere gramina campis
et renovare parans hibernas Apulus herbas
igne fovet terras, simul et Garganus et arva
volturis et calidi lucent buceta Matini.

A Valerio Flacco haec constructio in octo exemplis adhibetur. Forma I uno loco invenitur: VIII 239:

Sic ubi Mygdonios planctus sacer abluit Almo,
laetaque iam Cybele festaeque per oppida taedae,
quis modo tam saevos adytis fluxisse cruores
cogitet?

Forma II tribus locis: III 558:

Stagna vaga ceu luce micant, ubi Cynthia caelo
prospicit aut medii transit rota candida Phoebi:
tale iubar eqs.

II 546.

Sententia temporalis vim explicativam habet V 304:

Qualiter ex alta cum Iuppiter arce coruscat,
Pliadas ille movens mixtumque sonoribus imbrem
horriferamve nivem, canis ubi tollitur omnis
campus aquis.

Forma III quater occurrit: II 515:

Qualis ubi a gelidi Boreas convallibus Hebri
tollitur et volucres Rhipaea per ardua nubes
praecipitat eqs.

VI 419. VII 635.

Ut praesens historicum intelligendum est VII 111:

Qualis ubi extremas Io vaga sentit harenas
fertque refertque pedem eqs.

Apud Silium decem exempla inveni. Ut iam supra vidimus, forma I apud eum quoque maxime usitata est: I 468:

Talis ubi Aegaeo surgente ad sidera ponto
per longum vasto Cori cum murmure fluctus
suspensum in terras portat mare, frigida nautis
corda tremunt.

V 384. VI 321. VIII 426. IX 282. = 5 l.

Formae II quattuor exempla inveniuntur: V 604:
Iraque anhelatum proturbat pectore murmur,
ut multo accensis fervore exuberat undis,
clausus ubi exusto liquor indignatur aeno.

II 215. V 504. Praeterea II 671, ubi et perfectum et praesens in sententia primaria sunt.

Postremo forma III semel occurrit: VII 639:
Qualis ubi Oceani renovatus Lucifer unda
laudatur Veneri et certat maioribus astris.

VI. Perfectum et praesens logicum in sententia temporali de rebus iteratis bis apud Vergilium, apud ceteros nusquam invenitur. Altero loco comparatio non inest: Georg. I 417:
Verum, ubi tempestas et caeli mobilis umor
mutavere vias et Iuppiter uvidus austris
denset, erant quae rara modo, et, quae densa, relaxat,
vertuntur species animorum.

Comparatio formae III occurrit: Aen. XI 492:
Qualis ubi abruptis fugit praesepia vinclis
tandem liber equus campoque potitus aperto
aut ille in pastus armentaque tendit equarum cet.

Comprehendamus, qualis sit in comparationibus huius particulae usus. Primum apparet (ut etiam de cum vidimus pag. 22, 52), Lucanum comparationes huius generis non amare. Valerius Flaccus contra eas saepius quam ceteri adhibet. Quod ad formas illas attinet, forma

I praecipue apud Lucanum et Silium, forma III apud Vergilium et Valerium Flaccum invenitur.

VII. Futurum in sententia temporali[1]) de rebus singularibus, quamquam raro, apud omnes auctores nostros occurrit; de rebus iteratis uno apud Lucanum loco excepto non nisi a Vergilio in Georgicis adhibetur.

1. De rebus singularibus.

a. Futurum simplex in sent. temp. Etiam in sent. primaria futurum simplex plurimis locis exstat.

Vergilius tres locos praebet: Ecl. III 97:

Ipse, ubi tempus erit, omnis in fonte lavabo.

Aen. IX 98.

Adverbium tum sequitur: Georg. IV 405:

Verum ubi correptum manibus vinclisque tenebis,
tum variae ludent species atque ora ferarum.

Praeterea duos locos huius generis inveni: Valerius Flaccus V 683:

Mox ubi Thessalicis referent hos flamina terris,
tunc aderit victorque domos et sceptra tenebit.

Silius I 114:

Romanos terra atque undis, ubi competet aetas,
ferro ignique sequar.

Gerundivum in sententia primaria positum est: Valerius Flaccus V 318:

Ergo ubi lux altum sparget mare, tecta petenda urbis.

Praesens coniunctivi hortativi: Silius III 84:

Inde ubi flore novo pubescet firmior aetas,
emicet in Martem.

---

[1]) Draeger II² pag. 593 s.

Futurum simplex post ubi de re singulari apud Lucanum non occurrit.

b. Futurum exactum in sententia temporali. Futurum simplex in sent. primaria quinque locis: Verg. Aen. III 441:

Huc ubi delatus Cumaeam accesseris urbem
divinosque lacus et Averna sonantia silvis,
insanam vatem aspicies.

Ecl. IV 37. Georg. IV 544.

Lucanus IX 316:

Mox ubi damnosum radios admoverit aevum,
tellus Syrtis erit.

Silius XIII 876:

Namque ubi, fractus opum, magnae certamine pugnae
pertulerit vinci turpemque orare salutem,
rursus bella volet Macetum instaurare sub armis.

Imperativus in sententia primaria semel invenitur: Silius XII 175:

Ast ubi iusso,
per tacitum ruptis subita vi fundite portis
telorum in campos nimbum.

Semel quoque infinitivus pro imperativo ponitur: Valerius Flaccus III 411:

Ergo ubi puniceas oriens ascenderit undas,
tu socios adhibere sacris.

Praesens coniunctivi sententiae primariae a ne pendet: Verg. Aen. XI 18:

Arma parate animis et spe praesumite bellum,
ne qua mora ignaros, ubi primum vellere signa
adnuerint superi pubemque educere castris,
impediat segnisve metu sententia tardet.

Obs. ubi primum.

Conferre licet Georg. IV 20. Aen. I 685 et praecipue Sil. VII 313 (pag. 41 s.).

Praesens infinitivi, a verbo parandi pendens, in sent prim. occurrit: Aen. IV 118:

In nemus ire parant, ubi primos crastinus ortus
extulerit Titan radiisque retexerit orbem. (Obs. ubi primus.)

Confer Sil. X 524 (pag. 42).

c. Duobus locis futurum exactum et futurum simplex in sententia temporali coniunguntur; in sententia primaria imperativus vel coniunctivus hortativus. Ambo exempla apud Vergilium nobis occurrunt: Aen. III 403:

Quin, ubi transmissae steterint trans aequora classes
et positis aris iam vota in litore solves,
purpureo velare comas adopertus amictu.

Aen. III 410.

2. De rebus iteratis futurum in sententia temporali a Lucano uno loco adhibetur, a Valerio Flacco et Silio et a Vergilio in Bucolicis et Aeneide nusquam. Contra in Georgicis novies occurrit, cuius rei natura argumenti plane causa est.

a. Futurum simplex in sententia temporali bis occurrit; in sententia primaria quoque futurum simplex est: Lucanus VIII 371:

Sed non, ubi terra tumebit,
aspera conscendet montis iuga.

Tum in sent. primaria: Verg. Georg. I 445:

Aut ubi sub lucem densa inter nubila sese
diversi rumpent radii aut ubi pallida surget
Tithoni croceum linquens aurora cubile,
heu male tum mitis defendet pampinus uvas.

b. Futurum exactum in sent. temp. quinque locis adhibetur; in sent. prim. imperativus vel coniunctivus hortativus.

Imperativus tribus locis: Verg. Georg. IV 88:
Verum ubi ductores acie revocaveris ambo,
deterior qui visus, eum, ne prodigus obsit,
dede neci.
Georg. III 167. — Adverbium tum additum est: Georg. II 367.

Coniunctivus hortativus duobus locis: Georg. I 441:
Ille ubi nascentem maculis variaverit ortum
conditus in nubem medioque refugerit orbe,
suspecti tibi sint imbres.
Georg. III 190.

c. Ambo futura in sententia temporali coniuncta inveniuntur in duobus exemplis; sententia primaria imperativum praebet: Georg. III 327:
Inde ubi quarta sitim caeli collegerit hora
et cantu querulae rumpent arbusta cicadae,
ad puteos aut alta greges ad stagna iubeto
currentem ilignis potare canalibus undam.
Georg. IV 58.

d. Etiam cum praesenti logico futurum exactum post particulam ubi coniungitur: Georg. I 208:
Libra die somnique pares ubi fecerit horas
et medium luci atque umbris iam dividit orbem,
exercete, viri, tauros.

VIII. Imperfectum in sententia temporali ab ubi introducta omnino minus saepe quam post particulam postquam invenitur. Plurimi loci apud scriptores

historicos occurrunt, apud Ciceronem deest.[1]) Quod ad auctores nostros attinet, Vergilius et Valerius Flaccus hanc structuram non adhibent; a Lucano autem semel, a Silio quater usurpatur. In quattuor exemplis de rebus singularibus agitur, in uno tantum actio iterata est.

1. De rebus singularibus.

a. Praesens historicum in sententia primaria bis occurrit: Silius VI 326:

At fraudem nectens, socios ubi concava saxa
claudebant, vertit subito certamina Graius
et dat terga celer ficta formidine ductor.

In altero exemplo verbum perfecto historico formatum in sententia temporali antecedit: Sil. XV 237:

Verum ubi concessit pelagi revolubilis unda,
et fluctus rapido fugiebat in aequora lapsu,
quaque modo excelsae sulcarant caerula puppes,
hac impune dabat Nereus transcurrere planta:
— — — — subitam trahit aequore pubem.

b. Imperfectum in sent. prim. uno loco inveni: Sil. VI 162:

Isque ubi ferventi concepta incendia pastu
gurgite mulcebat rapido et spumantibus undis,
nondum etiam toto demersus corpore in amnem
iam caput adversae ponebat margine ripae.

c. Plusquamperfectum in sent. prim. etiam uno loco invenitur: Lucanus IX 19:

Ille, ubi pendebant casus dubiumque manebat,
quem dominum mundi facerent civilia bella,
oderat et Magnum.

---

[1]) Confer Hoffmann, pag. 9 ss. Draeger II^2 pag. 594.

2. Actio iterata est. In sententia primaria perfectum historicum sequitur: Silius XIV 471:

Ille ubi, septena modulatus harundine carmen,
mulcebat silvas, non umquam tempore eodem
Siren assuetos effudit in aequore cantus.

IX. Plusquamperfectum in sententia temporali et de rebus singularibus et iteratis (iterativum antecedens) usurpatur. Maxima pars exemplorum huius structurae, quae afferuntur, apud scriptores historicos invenitur; Cicero duo tantum exempla praebet.[1] Nostri auctores eam sex locis adhibent, quorum tria apud Vergilium occurrunt.

1. De re singulari in quattuor exemplis agitur. Uno loco excepto praesens in sententia primaria occurrit. Duo exempla ex Vergilio afferuntur: Georg. IV 552:

Post, ubi nona suos Aurora induxerat ortus,
inferias Orphei mittit lucumque revisit.

Ubi primus: Aen. VIII 407:

Inde ubi prima quies medio iam noctis abactae
curriculo expulerat somnum, cum — — — — —:
haud secus ignipotens nec tempore segnior illo
mollibus e stratis opera ad fabrilia surgit.

Silius unum locum habet, quo tamen plusquamperfectum cum perfecto in sententia temporali coniungitur: XVI 138:

Atque, ubi se vallo intulerat, ductorque benigno
accepit Latius vultu, rex talibus infit.

Semel sententia primaria imperfectum praebet; est apud Silium: XVII 109:

---

[1]) Hoffmann pag. 13 ss. Draeger II² pag. 595 s.

Verum ubi mox iuncto sociarant aggere vires
Massylus Tyriusque duces, accitaque regno
lenierat pubes infaustae vulnera noctis,
ira pudorque dabant et coniux, tertius ignis,
immanis animos.

2. Ut iterativum antecedens plusquamperfectum post ubi apud auctores nostros bis invenitur; sententia primaria imperfectum habet. Alterum locum apud Vergilium inveni, quem tamen et Hoffmann et Draeger omiserunt: Georg. III 482:

Nec via mortis erat simplex, sed ubi ignea venis
omnibus acta sitis miseros adduxerat artus,
rursus abundabat fluidus liquor omniaque in se
ossa minutatim morbo collapsa trahebat.

Posteriores hanc structuram uno tantum loco praebent: Lucanus III 701:

Hic ubi compressum penitus deduxerat hostem,
victor et incolumis summas remeabat in undas.

Videmus igitur, apud Valerium Flaccum et imperfectum et plusquamperfectum post particulam ubi quoque deesse; confer postquam pag. 113.

B. Coniunctivus in sententia temporali.

1. Coniunctivus in oratione obliqua est. Silius XV 583:

Iam rursus, ubi arma
avertisse suo cognorit devia vallo,
haesurum portis Poenum; venisse . . .

Fortasse cognorit etiam ut futurum exactum intellegi potest; confer Verg. Aen. XI 18 (pag. 129).

2. Actionem iteratam praeteriti temporis indicans imperfectum coniunctivi post ubi apud nostros

auctores quinque locis invenitur. Haec structura, quae primum apud Horatium od. 3, 6, 41 occurrit[1]), praecipue a Livio et Tacito usurpatur; apud ceteros, si Draegero credimus, perpaucis tantum locis exstat.

Valerius Flaccus duo exempla praebet; in sententia primaria perfectum occurrit: I 447:

A quotiens famulo notis soror obvia silvis
flevit, ubi Ossaeae captaret frigora quercus
perderet et pingui mersos Boebeide crines.

IV 376:

Illa ubi vel fessi tremerent erroribus artus,
vel rueret summo iam frigidus aethere vesper,
heu quotiens saxo posuit latus!

Apud Silium tria exempla inveni, quae omnia imperfectum in sententia primaria habent: XIV 213:

Ille ubi torreret subiectis corpora flammis,
mutabat gemitus mugitibus.

XV 457:

Ille ubi suspensi patres, et curia vocem
posceret, ut cantu, ducebat corda senatus.

In hoc exemplo observandum est, sententiam temporalem a particula cum incipientem et plusquamperfecto indicativi (iterativum antecedens) expressam et antecedere et sequi. Exemplum totum laudavi pag. 59.

Postremo verbum erat subaudio: XII 20:

Quis gelidas suetum noctes thorace gravatis
sub Iove non aequo trahere et tentoria saepe
spernere, ubi hiberna ruerent cum grandine nimbi.

Iam supra (pag. 89) vidimus, de rebus iteratis praeteriti temporis particulam cum apud nostros auctores saepius cum imperfecto coniunctivi quam cum praesenti

---

[1]) Draeger II² pag. 596 s. Confer praeterea Hoffmann p. 54 ss.

historico indicativi coniungi. Hanc rem apud particulam ubi eodem fere modo se habere, ex locis allatis apparet. Uno enim loco excepto, quo de comparatione agitur (vide pag. 126), semel tantum indicativus in hac significatione huic particulae adiungitur (pag. 133), quinque autem locis coniunctivus. Contra ea plusquamperfectum coniunctivi nec post cum nec post ubi inveni; plusqu. indicativi ut iterativum antecedens quater occurrit.

Ut.[1]

Ut temporale apud nostros auctores ubique cum indicativo coniungitur.[2] Longe plurimis locis de rebus singularibus agitur; tria tantum exempla inveni, ubi actio iterata est (pag. 142, 143). Quod ad tempora verborum attinet, eadem fere sunt ac post particulas postquam et ubi. Sed numeri locorum, quos singuli auctores praebent, multum inter se differunt.

I. Perfectum historicum[3] in sententia temporali hic quoque forma usitatissima est. In sententia primaria occurrit

1. Perfectum historicum:

Vergilius locos 14 (16) huius generis habet: Aen. II 119:

Volgi quae vox ut venit ad auris,
obstipuere animi gelidusque per ima cucurrit
ossa tremor.

Aen. II 531 (ut tandem). 561. III 306. VIII 1 (Obs. ter). 610. X 418. 790. 821. XI 838.

---

[1]) Forma uti apud Vergilium semel tantum (Aen. II 507) occurrit, apud ceteros nusquam.

[2]) De usu coniunctivi vide Draeger II² pag. 600.

[3]) Draeger II² pag. 597.

Ut primum ter occurrit: Aen. XII 47:
Ut primum fari potuit, sic institit ore.
Aen. VI 452. XII 669.

Perfectum et praesens in sententia temporali coniunguntur: Aen. V 8; vide pag.

Apud Lucanum haec structura saepe occurrit; haud minus 31 exempla inveniuntur: I 185:

Ut ventum est parvi Rubiconis ad undas,
ingens visa duci patriae trepidantis imago
clara per obscuram voltu maestissima noctem.

I 160. 236. 244. II 481. III 521. 741. IV 267. 539. 769.[1]) 794. V 82. 704. VI 281. VII 214. 728. VIII 613. IX 950. 987. 1037.

Adverbium tandem in sententia temporali additum est: II 687. IV 645.

Ut primum novem locis occurrit: III 544:
Ut primum rostris crepuerunt obvia rostra,
in puppim rediere rates.
IV 415. VI 180. 381. VII 528.[2]) IX 174. 319. X 1.

Semel tunc in sententia primaria invenitur: IV 765:
At vagus Afer equos ut primum emisit in agmen,
tunc campi tremuere sono.

Contra ea Valerius Flaccus et Silius perfectum in sententia primaria minus saepe adhibent. Valerius Flaccus novem exempla praebet: I 257:
Ut puer ad notas erectum Pelea voces
vidit et ingenti tendentem brachia passu,
adsiluit caraque diu cervice pependit.
II 609. IV 674.

---

[1]) Alii steterant, stetere.
[2]) Ut primus C.

Adverbium in sententia primaria additur: V 32:
Ut vero amplexus fessi rupere supremos
et rapidae sonuere faces, tunc ipsa cremari
visa ratis medioque viros deponere ponto.
III 515 (iam tum). VII 394 (subito).

Ut primum apud Valerium Flaccum omnino non occurrit; sed ut primus bis invenitur: II 206:
Et Leti maior imago
visa truces exerta manus, ut prima vocatu
intonuit signumque dedit Mavortia coniunx.
V 350.

Item simul ut animadvertendum est: V 549:
Ac simul ut medio viderunt Castora campo,
crebrior incessit mentem pavor.

Silius duodecim: IV 454:
Hic puer ut patrio defixum corpore telum
conspexit, maduere genae.
VII 581. XII 11. 541. XIV 398. XVII 72. 342.

Sententia primaria adverbium habet: II 374:
Ut deinde resedit,
tum vero attoniti, ceu templo irrumperet hostis,
exiluere patres.
III 426 (confestim). X 482 (id.).

Ut primus uno loco invenitur: I 77:
Nobilis hoc ortu et dextra spectatus Hamilcar,
ut fari primamque datum distinguere lingua
Hannibali vocem, sollers nutrire furores,
Romanum sevit puerili in pectore bellum.

Praecipue observari debet exemplum, ubi ut pro postquam vel ex quo ponitur: XIII 453:
Decimum lux rettulit ortum,
ut te, cum Capua remearem, vulnera vidi
mulcentem.

2. Praesens historicum in sententia primaria Vergilius et eum imitantes Valerius Flaccus et Silius multo saepius usurpant; Lucanus solus perfectum magis amat. Duobus locis exceptis de actione singulari agitur.

a. De rebus singularibus.

Apud Vergilium loci 36 occurrunt: Aen. II 67:
Namque ut conspectu in medio turbatus inermis
constitit atque oculis Phrygia agmina circumspexit,
'heu, quae nunc tellus,' inquit, 'quae me aequora possunt
accipere?'

Aen. I 486. II 507. 519. III 53. VI. 163. 385. VII 112. VIII 107. 362. IX 389.[1]) 683. X 365. 441 (sc. ait). 573. 586. 647 (sc. ait). 898 (id.). XI 36. 40. 854. 892. XII 129. 324. 353. 557. 710. 734. 869. Ut tandem: V 178.

Ut semel in uno exemplo invenitur: Aen. X 569:
Sic toto Aeneas desaevit in aequore victor,
ut semel intepuit mucro.

Ut primum quinque locis adhibetur: Aen. IV 259:
Ut primum alatis tetigit magalia plantis,
Aenean fundantem arces ac tecta novantem
conspicit.

Aen. I 306. IV 586. VI 102. XI 300.

Lucanus 22 exempla praebet: I 466:
Caesar, ut inmensae conlecto robore vires
audendi maiora fidem fecere, per omnem
spargitur Italiam vicinaque moenia complet.

I 223. 272. 297. II 466. III 46. 433. IV 130. 174. 248. 271. 640. VI 570. VII 337. 460. IX 171. 498. 611.

---

[1]) 'ut stetit eqs.' ad versus sequentes refero, verbum 'clamat' subaudiens. Cfr Ladewig-Schaper hoc loco.

Ut primum quater occurrit: IV 365:
Ut primum iustae placuerunt foedera pacis,
incustoditos decurrit miles ad amnes.
V 15. VI 118. VII 506.

Valerius Flaccus sedecim: I 127:
Constitit ut, longo moles non pervia ponto,
puppis et ut tenues subiere latentia cerae
lumina, picturae varios superaddit honores.
I 494. II 91. 261. 401. III 43. 428. IV 137. V 116. VII 327. 602. 616. VIII 127.

Adverbium in sententia primaria: VIII 295:
Tum vero clamorem omnes inimicaque tollunt
gaudia, tum gravior remis fragor, ut procul Argo
visa viris.
I 205 (ecce).

Praeterea III 719, ubi praesens quoque in sententia temporali occurrit.

Silius haud minus 42 locos habet: II 169:
Quem ruere ut telo vidit regina cruento,
obliquos detorquet equos.
III 68. IV 370. V 209. 348. 592. VI 77 (sc. ait). 224. VII 300. 328 (sc. ait). 353. 519. VIII 622. IX 419. X 195. 251. XI 89. 352. XII 558. 595. 686. 733. XIII 156. 361. XV 325. 353. 439. 507. 753. 784. XVI 381. 581. XVII 236.

Ut tandem IX 556. Confer I 672: tandem, ut. Praeterea adverbia in sent. primaria occurrunt: II 11 (ocius). XIV 394 (propere).

Ut primum ter invenitur: I 475:
Ut tegmina primum
fulgentis galeae conspexit et arma cruento
inter solem auro rutilantia, turbidus infit.
IV 534. XIV 620.

Perfectum cum praesenti in sententia temporali coniungitur X 83. XVII 218.

b. De rebus iteratis ut temporale duobus tantum locis cum perfecto historico iungitur; ambobus locis quisque sequitur. Hoffmann et Draeger nullum exemplum huius structurae commemorant, multa autem, ubi ut quisque cum plusquamperfecto coniungitur (imperf. in sent. prim.).[1] Ex nostris exemplis alterum apud Valerium Flaccum invenitur: III 72:

Hinc alii subeunt, ut proxima quaeque
intremuit domus et motus accepit inanes.

Alterum apud Silium: XIV 132:

Nam ut cuique salutem
promisit fuga, praeveniens dux occupat ense.

3. Etiam infinitivus historicus in sententia primaria quattuor locis exstat.

Vergilius unum locum habet: Aen. VI 489:
At Danaum proceres Agamemnoniaeque phalanges
ut videre virum fulgentiaque arma per umbras,
ingenti trepidare metu.

Valerius Flaccus duos: III 268:
Ut socias videre manus, dare versa retrorsus
terga metu.
IV 273.

Silius unum: I 240:
Utque dati rerum freni, nunc arte paterna
conciliare viros armis, consulta senatus
vertere nunc donis. (Confer postquam pag. 105).

4. Imperfectum in sent. prim. in quinque exemplis inveni: Verg. Aen. VIII 225:
Ut sese inclusit ruptisque immane catenis

[1]) Hoffmann pag. 44 ss. Draeger II² pag. 599.

deiecit saxum, ferro quod et arte paterna
pendebat, fultosque emuniit obice postis,
ecce furens animis aderat Tirynthius.

Lucanus III 1:
Propulit ut classem velis cedentibus auster
incumbens mediumque rates movere profundum,
omnis in Ionios spectabat navita fluctus.

Silius tria exempla praebet: VI 458:
Intulit ut gressus, certatim voce manuque
ad solitam sedem et vestigia nota vocabant.
VI 498. XII 479 (scitum est).

5. Plusquamperfectum in sent. prim. apud Vergilium non inveni; Valerius Flaccus unum, Silius duo exempla praebent.

Valerius Flaccus II 38:
Auxerat hora metus, iam se vertentis Olympi
ut faciem raptosque simul montesque locosque
ex oculis circumque graves videre tenebras.

Silius II 102:
Verum ut, opum levior, venatu extendere vitam
abnuit, atque artae res exegere per aequor,
coniuge cum Meroë natisque inglorius hospes
intrarat miseram, fato ducente, Saguntum.
XII 606.

II. Perfectum logicum in sententia temporali, quod quattuor locis annotavi, uno loco actionem iteratam significat: Verg. Georg. II 426:
Poma quoque, ut primum truncos sensere valentes
et vires habuere suas, ad sidera raptim
vi propria nituntur opisque haud indiga nostrae.

Hoc uno loco ut temporale in Georgicis occurrit (nusquam in Bucolicis). — Draeger unum tantum exemplum huius structurae affert: Plaut. Mil. 1264.

Ut particula postquam etiam ut temporale sententiam introducit, qua id tempus designatur, unde actio sententiae primariae esse incipit: ut = ex quo. Tria exempla huius structurae, quae haud inusitata est, nostri auctores praebent. Sed ut nusquam nudum ponitur; duobus locis ut semel, uno ut primum occurrit.

Ut semel apud Silium invenitur in exemplo, ubi sententia primaria praesens logicum habet: XIV 11:

Ausoniae pars magna iacet Trinacria tellus,
ut semel expugnante Noto et vastantibus undis
accepit freta, caeruleo propulsa tridente.

Etiam Valerius Flaccus locum praebet, ubi tamen in sententia temporali perfectum et praesens coniunguntur. In sententia primaria futurum occurrit: III 708:

(*Hasta*) *quae neque iam frondes virides nec proferet umbras,*
ut semel est evulsa iugis ac matre perempta
fida ministeria et duras obit horrida pugnas.

Ut semel, cfr pag. 140; cum semel, pag. 38, 47.

Huc refero etiam Lucanus VII 436, quod eiusdem fere generis est:

Vellem, populis incognita nostris (*libertas*);
volturis ut primum laevo fundata volatu
Romulus infami conplevit moenia luco,
usque ad Thessalicas servisses, Roma, ruinas.

Cum his exemplis conferendum est Sil. XIII 454, ubi tamen perfectum sententiae temporalis historicum est (pag. 139).

III. Praesens historicum in sententia temporali.

1. Saepissime praesens historicum etiam in sententia primaria occurrit.

Apud Vergilium quattuor exempla huius structurae inveni; in tribus verba sentiendi sunt: Aen. IX 722:

Pandarus, ut fuso germanum corpore cernit,
et quo sit fortuna loco, qui casus agat res,
portam vi magna converso cardine torquet.

Aen. XII 1 (videt). 595 (prospicit).

Alia verba: Aen. X 148:

Namque, ut ab Euandro castris ingressus Etruscis
regem adit et regi memorat nomenque genusque
quidve petat quidve ipse ferat, Mezentius arma
quae sibi conciliet, violentaque pectora Turni
edocet; humanis quae sit fiducia rebus,
admonet immiscetque preces: haud fit mora, Tarchon
iungit opes foedusque ferit.

Lucanus decem locos praebet, ex quibus septem verba sentiendi habent: I 392:

Caesar, ut acceptum tam prono milite bellum
fataque ferre videt, ne quo languore moretur
fortunam, sparsas per Gallica rura cohortes
evocat et Romam motis petit undique signis.

II 492 (conspicit; 'ait' vel 'inquit' subaudio).[1]) III 115 (videt). VI 11 (videt). 657 (conspicit). VIII 470 (conperit).

Etiam alia verba occurrunt: III 474:

Ut tamen hostiles densa testudine muros
tecta subit virtus armisque innexa priores
arma ferunt galeamque extensus protegit umbo,
quae prius ex longo nocuerunt missa recessu,
iam post terga cadunt.

---

[1]) Bentley coni.: cal. proclamat ab ira.

Huc refero etiam III 450:
Utque satis (sc. est)[1] *caesi nemoris, quaesita per agros plaustra ferunt.*

Ut primum bis invenitur: VI 69:
Ut primum vasto saeptas videt aggere terras,
ipse quoque a tuta deducens agmina Petra
diversis spargit tumulis.

II 93:
Libycas ibi colligit iras,
ut primum fortuna redit.

Apud Valerium Flaccum exempla quinque (sex) inveniuntur; quater in sent. temp. verbum sentiendi occurrit: II 636:
Haemoniae qui tum nova signa carinae
ut videt, ipse ultro primas procurrit ad undas.
VI 373 (videt). VII 431 (aspicit).

Praeterea VI 300:
Utque iterum instat
vociferans, iterum belli diversa peragrat,
lancea caeruleas circum strepit incita vittas.
Fortasse etiam IV 19 huc referri debet.

Perfectum + praesens in sent. temp. III 719; vide infra.

Silius sex locos habet; in tribus videt occurrit: I 550:
Ut videt inpressum coniecta cuspide vulnus,
advolat.
IV 311. X 1.

Est subauditur: IV 248:
Crixus, ut in tenui spes exiguumque solutis,
armat contemptu mentem necis.
Simul cum perfecto praesens invenitur X 83. XVII 218.

---

[1]) Bentley coni. 'sat est'.

2. Perfectum historicum in sententia primaria post praesens sententiae temporalis tribus tantum locis inveni.

Silius II 116:

Namque ut fatiferos converti prospicit arcus,
opposito procul insidiis Nasamonias Harpe
corpore praeripuit letum. (Obs. verb. sent.)

Ut primum apud Lucanum occurrit: V 430:

Ut primum levior propellere lintea ventus
incipit exiguumque tument, mox reddita malo
in mediam cecidere ratem.

Verg. Aen. V 8 infra pag. 148 afferam.

3. Infinitivus historicus in sententia primaria semel ponitur: Verg. Aen. XII 216:

At vero Rutulis impar ea pugna videri
iamdudum et vario misceri pectora motu;
tum magis, ut propius cernunt non viribus aequis.
(Obs. verb. sent.).

Videmus igitur, etiam post ut temporale maximam partem locorum, quibus praesens historicum occurrit, verba sentiendi praebere et id apud omnes auctores nostros. Nam inter haec 29 exempla (Verg. 6, Luc. 11, Val. 5, Sil. 7) duodeviginti (Verg. 4, Luc. 7, Val. 3, Sil. 4) verba huius generis habent; in decem exemplis ut videt invenitur.

IV. Perfectum et praesens historicum in sententia temporali coniuncta apud auctores, quos tractamus, in quattuor exemplis inveni. Uno loco excepto praesens in sententia primaria sequitur.

Valerius Flaccus unum locum praebet: III 719:

Hic vero ingenti repetuntur pectora luctu,
ut socii sedere locis nullaeque leonis
exuviae tantique vacant vestigia transtri.

Silius duo: X 83:

At coniux Iovis, ut Paulum depellere dictis
nequicquam fuit, et consul non desinit irae,
avocat ignarum saevo a certamine Poenum.

XVII 218 (sc. inquit vel ait).

Perfectum in sententia primaria Vergilius adhibet: Aen. V 8:

Ut pelagus tenuere rates nec iam amplius ulla
occurrit tellus, maria undique et undique coelum,
olli caeruleus supra caput adstitit imber.

Licet conferre Aen. III 192 pag. 111.

V. Praesens logicum in sententia temporali post ut temporale idem ac ex quo valens omnino raro invenitur; Draeger[1]) quinque tantum exempla affert. Accedit locus, quem apud Valerium Flaccum inveni: VI 462:

Durus ut Argolicis Tirynthius exulat oris,
mens mihi non eadem Iovis atque aversa voluntas.

VI. Imperfectum in sententia temporali, quod primum apud Ciceronem occurrit, imprimis a Livio usurpatur.[2]) Apud nostros auctores unus tantum locus invenitur, ubi ut plane temporale est; plusquamperfectum in sententia temporali antecedit. Est apud Silium: IV 56:

Namque ut, collatis admoto consule castris,
sustulerat fortuna moras, signumque furoris
accensae viso poscebant hoste cohortes:
'Debellata procul, quaecumque vocantur Hiberis',
ingenti Tyrius numerosa per agmina ductor
voce sonat.

[1]) II² 598.

[2]) Hoffmann pag. 11. Draeger II² pag. 593 s.

Praeterea aliquot locis ut comparativum significationem temporalem involvens occurrit: Verg. Aen. VII 508. X 231. XII 488. 623. Val. Fl. VII 407.

VII. Plusquamperfectum in sententia temporali, quod usque a Cicerone et de rebus singularibus et iteratis usurpatur,[1]) apud omnes nostros auctores, sed perraro, invenitur: Vergilius et Silius singulos, Lucanus et Valerius Flaccus binos locos praebent. Ubique de rebus singularibus agitur.

Praesens in sententia primaria exstat: Lucanus III 538:

Ut tantum medii fuerat maris, utraque classis
quod semel excussis posset transcurrere tonsis,
innumerae vasto miscentur in aethere voces.

Val. Fl. III 556:

Utque artus et concita pectora sudor
diluerat, gratos avidus procumbit ad amnes.

Silius IV 56 vide supra.

Perfectum in sent. prim.: Verg. Aen. XI 573:

Utque pedum primis infans vestigia plantis
institerat, iaculo palmas armavit acuto.

Obs. ut primis = ut primum.

Imperfectum in sent. prim.: Val. Fl. V 330:

Senserat ut pulsas tandem Medea tenebras,
rapta toris primi iubar ad placabile Phoebi
ibat et horrendas lustrantia flumina noctes.

Plusquamperfectum in sent. prim.: Lucanus II 374:

Ut primum tolli feralia viderat arma,
intonsos rigidam in frontem descendere canos
passus erat maestamque genis increscere barbam.

---

[1]) Hoffmann pag. 13 ss. Draeger II[2] pag. 599.

Simul, simulac.

Hae particulae, quae semper cum indicativo coniunguntur,[1]) ab omnibus auctoribus nostris, sed paucis tantum locis usurpantur. Apud Vergilium et Valerium Flaccum ambae formae occurrunt, Lucanus et Silius simul ubique praebent. In quattuor exemplis de rebus iteratis agitur; saepius actio singularis designatur. Plurimis locis occurrit

I. Perfectum in sententia temporali.

1. Perfectum etiam in sententia primaria uno tantum loco inveni: Valerius Flaccus VII 410:

Quam simul effusis pavitantem fletibus heros
flagrantesque genas vidit miserumque pudorem,
has tandem voces dedit et solatus amantem est.

Observandum est, simul ut occurrere Val. Fl. V 549 (pag. 139).

2. Ceteris locis praesens sententia primaria habet.

a. De rebus singularibus.

Vergilius tria exempla praebet: Aen. IV 90:

Quam simul ac tali persensit peste teneri
cara Iovis coniunx, nec famam obstare furori,
talibus adgreditur Venerem Saturnia dictis.

Aen. III 630 (simul). XII 222 (simul ac).

[1]) Confer Draeger II[2] pag. 600 s.

Valerius Flaccus tria: IV 88:
Quod simul adsumpta pulsum fide, luctus et irae
et labor et dulces cedunt e pectore nati.
IV 502 (simul). VI 535 (simul ac).

Silius quoque tria: II 211:
Ac simul aerati radiavit luminis umbo,
et concussa procul membris velocibus arma
letiferum intonuere, fugam perculsa repente
ad muros trepido convertunt agmina cursu.
II 526. XII 648.

b. De rebus iteratis duobus locis adhibetur. Altero loco, apud Lucanum, perfectum historicum est: IX 911:

Qui tunc Romana secutus
signa, simul iussit statui tentoria ductor,
primum, quas valli spatium conprendit, harenas
expurgat cantu verbisque fugantibus angues.

Altero loco perfectum logicum occurrit: Verg. Georg. IV 231:
Bis gravidos cogunt fetus, duo tempora messis,
Taygete simul os terris ostendit honestum
Plias et Oceani spretos pede reppulit amnis
aut eadem sidus fugiens ubi piscis aquosi
tristior hibernas caelo descendit in undas.
Confer pag. 118.

II. Praesens in sententia temporali uno loco et quidem de re iterata occurrit: Lucanus IV 684:
Et solitus vacuis errare mapalibus Afer
venator, ferrique simul fiducia non est,
vestibus iratos laxis operire leones.

III. Futurum simplex Vergilius uno loco post simul adhibet de re singulari: Ecl. IV 26:

At simul heroum laudes et facta parentis
iam legere et quae sit poteris cognoscere virtus,
molli paulatim flavescet campus arista.

IV. Plusquamperfectum in sententia temporali de actione iterata (iterativum antecedeus) apud nostros auctores semel invenitur; sententia primaria imperfectum praebet: Silius XIV 328:

Qui, simul affixo vicina in robora ferro
sustulerant sublime ratem, miserabile visu,
per subitum rursus laxatis arte catenis
tanta praecipitem reddebant mole profundo,
ut totam haurirent undae cum milite puppem.

Hoffmann et Draeger[1]) pauca tantum exempla huius structurae afferunt. Plusquamperfectum de actione singulari nostri non habent.

Postremo de temporibus praeteritis, quae post has particulas usurpantur, nonnulla verba addam. Eas saepissime perfectum historicum secum habere, inter omnes constat; ita etiam apud nostros auctores, excepto, quod ad particulam postquam attinet, Valerio Flacco, qui eam in decem locis bis tantum cum perfecto historico coniungit. Sed ex iis, quae supra attulimus, elucet, praesens historicum quoque haud inusitatum esse. In sententiis temporalibus huius formae saepe significationem perdurationis inesse, iam supra animadvertimus. Sed non dubium est, quin in aliis praesens nihil aliud quam perfectum historicum valeat, praecipue cum actio sen-

---

1) Hoffmann pag. 44 ss. Draeger II² pag. 601.

tentiae verbo sentiendi, quod vocatur, designatur. Hoc inprimis ex iis exemplis videre licet, ubi praesens verborum *aspicio*, *conspicio*, *prospicio* post particulas *ubi*, *ut* occurrit (Verg. Aen. XII 595. Luc. II 492. VI 657. Val. Fl. IV 535. VII 431. Sil. II 116); in iis enim verbis brevioris dumtaxat momenti notio latet, quam ob rem statum haud facile indicant; et longe saepius (24 locis) perfecto formata inveniuntur. Ex hac re concludere audeo, etiam inter perfectum et praesens historicum verbi *videre*, quamquam in hoc verbo vis longioris morae inesse videtur, plurimis locis nullum discrimen interesse et auctores plerumque re metrica coactos *videt* (◡ ≚) aut *vidit* (— ≚) scripsisse. Quod etiam clarius perspicitur, si exempla nonnulla comparamus, quae inter se similia sunt, exempli gratia: Verg. Aen. VII 373 et IX 549; Luc. I 392 et IV 271; Val. Fl. VI 373 et IV 137; Sil. VI 612 et IX 374. Animadvertendum est, post particulam *ut* multo saepius *vidit* occurrere quam *videt*, contra *postquam* et *ubi* saepius praesens secum habere. Quomodo haec res apud singulos auctores se habeat, ex his numeris cernitur:

	Verg.	Luc.	Val.	Sil.	
Postquam videt	2	2	3	7	= 14
» vidit	—	1	1	6	= 8
Ubi videt	2	—	2	5	= 9
» vidit	4	—	1	1	= 6
Ut videt	1	4	2	3	= 10
» vidit	11	8	6	11	= 36

Vide praeterea ea, quae pag. 110, 123, 148 annotavi. De imperfecto (11 locis) et plusquamperfecto (16 locis) vide pag. 112 ss., 131 ss., 149 s., 153.